Röhlecke, Albertus

Septem adversus Thebas et Prometheum vinctum

PA
3829
R58

SEPTEM ADVERSUS THEBAS ET PROMETHEUM VINCTUM

ESSE

FABULAS POST AESCHYLUM CORRECTAS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IX. M. OCTOBR. A. MDCCCLXXXII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ALBERTUS RÖHLECKE

ALVENSLEBENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

R. BETHGE, DR. PHIL.

P. SCHULTZE, CAND. PHIL.

M. GIERCKE, STUD. PHIL.

BEROLINI.

TYPIS A. HAACK.

DOROTHEENSTR. 55.

PA
3829
R5'8
LIBRARY
DEC 28 1961
UNIVERSITY OF TORONTO
779112.

Dissertatio quam sum scripturus de Aeschyli tragoediis quatuor partes habet: quibus ex partibus duae pertinent ad Septem in Thebas fabulam, duae ad Prometheum vinctum. Sic autem rem instituam ut in prima et tertia partibus dicam de interpolationibus injuste ab interpretibus statutis: namque illa in tragoedia duas diversas fictiones atque invicem sese excludentes servari nuperrime vir quidam doctus judicavit, sic ut ab uno eodemque poeta non possent esse profectae; neque minus altera in tragoedia interpres quidam nuper diversas fictiones invenisse sibi visus est, atque quamquam ipse res diversas diversis temporibus ab ipso Aeschylo excogitatas esse censuit, facile tamen si quis concedet fictionum diversitatem, opinabitur eam deberi diversis poetis; adjiciam autem pauca alia quae quamvis abhorreant a rationibus aliis in fabulis poetae sanctis, hoc tamen ipso mihi quidem non indigna videntur. In altera et quarta partibus dicam iis de interpolationibus quas duo nostrae disciplinae principes suo jure statuisse videntur. Has in quaestiones iterum inquirere accuratius juvat vehementissime, quod Bergkius conjecturae quam publicavit de Sept. fabulae exitu ab Aeschylo abjudicando prorsus nullas attulit causas; de Prom. autem fabulae canticis Westphalius, qui primus negavit ea esse Aeschylea, brevissime cum ageret de Graecorum arte metrica, eas tantum significavit causas quae pertinent ad res metricas: de carminum argumento nihil addidit. Jam a praefatione quam praemisi, ut universam rerum distributionem significarem, ad ipsam dissertationem transeamus.

Prima pars.

Postquam Fr. Ritschelius primum accuratissime egit de Sept. fabulae bis septem orationibus, quibus Argivorum et Thebanorum duces describuntur, judicavitque eas ita inter sese respondere ut regis orationes tenerent eundem versuum numerum atque nuntii, multi viri docti eandem quaestionem retractaverunt; sed omnes fere, quamquam eandem atque ille rationem sunt secuti, aliis tamen remediis poetae verba sananda putaverunt: aut alias interpolationes aut alias lacunas statuerunt. Ex iis autem Weilius eo est progressus ut non ipsas modo orationes sed etiam orationum paria versuum numero inter se concinere judicaret: hac ratione deductus multo plures quam alii lacunas esse in orationibus suspicatus est. Sed monuit W. Richterus in dissertationis, quam edidit Berolini a. 1878, parte priori esse rejiciendam emendandi rationem quae niteretur lege responsionis, eamque ob causam quae ceteri depravata esse censuerant revera ipsius poetae esse defendit. Hac in parte virum doctum interdum vera vidisse libenter confiteor: sed quod in altera parte propter alias causas scenam illam post Aeschylum retractatam esse statuit equidem ut comprobem mihi persuadere non possum.

Ut igitur eluceat quo in sententiarum connexu poeta orationum paria posuerit, paucis explicandum est prioris tragoediae partis argumentum. Atque primum Eteocles rex postquam ex Tiresia vate comperit hostes noctu statuisse mane in Thebas facere impetum, (nam vv. 27 sqq.*) sanum sensum non praebent nisi ex Dindorfii conjectura sic scribentur:

οὗτος τοιῶνδε δεσπότης μαντευμάτων
λέγει μεγίστην προσβολὴν Ἀχαιΐδα
νυκτηγορῆσθαι καπιβούλευσιν πόλει)

prodit in scenam, ut ad urbem defendendam impellat cives, qui utrum ipsi in scena adfuerint an potius spectatores pro iis haberi poeta finxerit, disceptare non audeo. Dum illud rex agit, redit nuntius antea ad speculandum emissus atque certius nuntiat quod vates praedixerit fieri revera: impetum parare hostes, septem duces inter se conjurasse sese aut hostium urbem esse capturos aut sanguine suo humum respersuros. Ceterum se reliquisse ait duces sortientes quam quisque portam sit aggressurus. Postquam autem regem admonuit ut eligeret viros fortissimos atque praeficeret portis defendendis, abit de scena ut accuratius exploret cetera hostium conata. Rex porro

*) citantur versus secundum A. Kirchhofii editionem Berol. a. 1880.

petit a diis ut servitutem a patria prohibeant; deinde in orchestram procedunt virgines periculorum quae imminent summo timore captae atque confugiunt ad deorum simulacra, quae sunt ante domum regiam: a singulis diis singulae petunt auxilium luctibus lacrimisque indulgentes. Sed rex, qui post v. 77 in scena remansisse videtur, — etenim neque ad portas decessisse potest cogitar ipropetr virginum lamentationes quas ipse sese audivisse ait, neque usquam in domum regiam abiise dicitur — primum gravissime in eas invehitur easque vetat trepidatione atque ejulatu civium animos frangere; nectamen commotas sedare potest nisi verbis lenibus usus. Petit enim a virginibus ut securae audiant quid ipse diis sit voturus et deinde vota audita repetentes faustum clamorem tollant (vv. 250 sqq., v. 260). Ipse autem postquam vovit diis, sese jam septem duces electurum esse ait qui portas defendant. Haec autem verba sic rex instituit ut non immemor esse videatur nuntii orationis, qui talia monuit in vv. 57—58:

πρὸς ταῦτ' ἀρίστους ἄνδρας ἐκκρίτους πόλεως
πυλῶν ἐπ' ἐξόδοισι τάγευσαι τάχος.

Namque utitur ille his verbis (vv. 265 sqq.):

ἐγὼ δ'ἐπ' ἄνδρας ἓξ ἐμοὶ σὺν ἑβδόμῳ
ἀντηρέτας ἐχθροῖσι τὸν μέγαν τρόπον
εἰς ἑπτατειχεῖς ἐξόδους τάξω μολών.

Etiam commemoratu digna videntur quae subsequuntur:

πρὶν ἀγγέλους σπερχνούς τε καὶ ταχυρρόθους
λόγους ἱκέσθαι καὶ φλέγειν χρείας ὕπο.

Etenim cum nuntius antea significaverit urbis defensionem quam celerrime regi esse suscipiendam (nam sic sonat v. 65 *καὶ τῶνδε καιρὸν ὅστις ὤκιστος λαβέ*), hic, quoniam tam magnum temporis spatium est interpositum inter nuntii adhortationem et hanc alterius orationem, nunc demum portarum defensores electurus aptissime adjicit sibi quam celerrime munus illud esse subeundum. Ut igitur ex iis quae fusius exposui id potissimum breviter colligam quod pertinet ad quaestionem sequentem, rex post illa verba in castra festinare cogitandus est ut una secum sex duces singulis portis praeficiat. Hoc exsequitur eo temporis spatio, dum cantatur canticum quod est inde a v. 270 usque ad v. 351. Post hunc autem versum et nuntius et rex redeunt in scenam (vv. 352—357). Jam subsequitur scena illa praeclara qua et Argivorum et Thebanorum duces accuratissime depinguntur. Etenim exploravit nuntius quamnam quisque hostium portam esset sortitus (vv. 358—359) et exponit rem exploratam sic in subsequentibus ut describat accuratius singulos septem portarum duces. Rex autem singulis nuntii narrationibus auditis respondet quisnam ex Argivis sit

pugnaturus cum duce modo descripto. Hanc ad scenam pertinet quaestio illa de qua nunc est accuratius agendum. Nam Richterus judicat »duo diversa consilia vel potius duas contrarias fictiones sic confundi atque permisceri« ut facere non possimus quin hanc fabulae partem post Aeschylum retractatam esse censeamus.

Primum pauca dicam illa de fictione quam suo jure statuit Richterus. Postquam igitur rex audivit Hippomedontem sortitum esse Minervae portam atque sese jam prope eam jactare, de dea haec dicit:

εἶρξει νεοσσῶν ὡς δράκοντα δύσχιμον,

de Hyperbio autem sic pergit in vv. 487 sqq.:

Ὑπέρβιος δὲ κεδνὸς Οἴνοπος τόκος
ἀνὴρ κατ' ἄνδρα τοῦτον ᾑρέθη θέλων
ἐξιστορῆσαι μοῖραν ἐν χρείᾳ τύχης
οὔτ' εἶδος οὔτε θυμὸν οὔθ' ὅπλων σχέσιν
μωμητός, Ἑρμῆς δ' εὐλόγως συνήγαγεν.

Verba extrema accipienda sunt sic ut rex dicat forte quadam secunda oppositos esse Hippomedontem et Hyperbium. Namque ipse cum Hyperbio Minervae portam traderet defendendam, scire non potuit in eum Hippomedontem esse pugnaturum: apte igitur Mercurius effecisse dicitur ut eandem portam illi sortirentur quorum scuta signis inter se adversariis essent instructa (vid. Weilii adnot.). Porro eandem fictionem poeta sine dubio est secutus cum de Polyphonte, qui opponitur Capaneo, haec verba scriberet (vv. 430—431):

ἀνὴρ δ' ἐπ' αὐτῷ καὶ στόμαργός ἐστ' ἄγαν,
αἴθων τέταχται λῆμα, Πολυφόντου βία.

Deinde vix dubitare possumus quin ipse Eteocles rex sibi septimam quae dicitur portam proposuerit defendendam, prius quam sciret in eam impetum facturum esse Polynicem. Quod si non statuemus, non possumus intelligere v. 634:

ὦμοι πατρὸς δὴ νῦν ἀραὶ τελεσφόροι

a rege pronuntiatum, postquam audivit ipsum fratrem portam septimam esse sortitum. Ceterum poeta nisi casu factum esse ostendit ut frater uterque eandem portam sibi sumeret, vim Oedipi dirarum non satis gravi pondere pressit: immo ex illius more fratres propter patris exsecrationem quasi fato ad caedem mutuam destinati esse sunt cogitandi. In quinta autem oratione rex his utitur verbis:

ἔστιν δὲ καὶ τῷδ' ὃν λέγεις τὸν Ἀρκάδα
ἀνὴρ ἄκομπος.

Haec verba eum aptissime dicere posse si jam antequam quid comperiret de Parthenopaeo, Actorem Boreae portae praefecerit, nemo negabit.

Jam venimus ad ceteras regis orationes quas alteram fictionem sequi Richterus contendit: namque putat his in orationibus fingi duces in scena adesse et nunc demum designari ad singulas portas defendendas atque designatos statim suum quemque ad locum abire. Haec omnia ex viri docti opinione aperte significantur in tertia regis oratione, quae secundum fidem libri Medicaei sic incipit:

πέμποιμ' ἄν ἤδη τόνδε σὺν τύχῃ δέ τῳ
καὶ δὴ πέπεμπτ' οὐ κόμπον ἐν χεροῖν ἔχων
Μεγαρεὺς Κρέοντος σπέρμα τοῦ σπαρτῶν γένους.

His ex verbis *πέπεμπτ' οὐ* sine dubio corruptum, recte emendatum est in *πέπεμπται*. Richterus autem postquam retinendum suasit accusativum *τόνδε* et *δέ* particulam delendam ut »*σὺν τύχῃ τινί*« conjungerentur cum subsequentibus, versus sic interpretatus est quasi rex Megareum digito monstraret eumque sese missurum diceret; ille autem electus statim ad portam traditam procederet (vid. *καὶ δὴ πέπεμπται*). Huic interpretationi multa obstant. Etenim sine dubio corruptus est accusativus *τόνδε*, quo accusativo nititur tota Richteri explicatio. Namque rectissime monuit Ritschelius non potuisse Megareum primum significari pronomine »*ὅδε*«, deinde ipso nomine appellari. Porro »*σὺν τύχῃ τινὶ πέμποιμ' ἄν*« apud illum interpretem nihil possunt dicere nisi «mittam cum eventu quodem«, quae mihi quidem nimis audacter dicta ab Eteoclis animo aliena videntur. Etenim ceteris in orationibus rex verbis modestis atque demissis uti solet: sic ut alia omittam, in sextae orationis exitu haec dicit:

θεοῦ δὲ δῶρόν ἐστιν εὐτυχεῖν βροτούς.

Tum illa fictione ex qua duces designati statim de scena abire cogitantur me judice nihil absurdius potest reperiri. Hoc tamen viro docto est concedendum potuisse omnino tale quid excogitari: sed opponendum censeo illius fictionis ne in duabus quidem aliis orationibus quas una cum tertia tractavit inveniri vestigia. His de causis ab illius ratione recedendum suadeo atque verba sic interpretanda ut bene quadrent ad fictionem ceteris in orationibus servatam. Etenim primum offensio illa a Ritschelio notata adeo mihi constat ut loco accusativi »*τόνδε*« omnimodo reponendam esse statuam ejusdem viri conjecturam facillimam, dico dativum *τῷδε* qui pertineat ad Eteoclum nuntii oratione depictum. Sed quod idem interpres de orationis defectu excogitavit mihi quidem non probabile videtur. Etenim quae ille deesse putavit non sunt necessaria ad sententiam explendam. Nam cum debuerit exponi Martem adjuturum esse Thebanos causa non conspicitur: non finxerat nuntius ipsum Argivum minitantem sese etiam Marte invito

hostium oppidum esse deleturum; sed erat in scuto homo jactans »γραμμάτων ἐν ξυλλαβαῖς« ne a Marte quidem sed de hostium moenibus posse dejici. De hoc autem scuti signo et de equis satis superque responsum esse vv. 455—462 concedet quisquis judicare poterit sine animi praesumptione. Porro Richterus p. 16 recte monet »πέμποιμ' ἂν καὶ δὴ πέπεμπται« ita inter se opponi ut nunquam profecto infelicius orationis defectus sit positus. Itaque Ritschelii conjectura »τῷδε« recepta verba tali modo interpungenda esse contendo:

πέμποιμ' ἂν ἤδη τῷδε, σὺν τύχῃ δέ τῳ
καὶ δὴ πέπεμπται κόμπον ἐν χεροῖν ἔχων
Μεγαρεύς.

Etenim sic omnia bene procedere videntur. Primum in vocabulis »πέμποιμ' ἂν ἤδη« et particula ἤδη et optativus cum ἄν particula suis locis stare videntur. Ait enim rex sese nunc cum antea audiverit nuntii narrationem, si quem liceat eligere, nullum alium esse oppositurum nisi Megareum. Neque minus in verbis subsequentibus, quae sic verto »sed casu quodam secundo etiam revera in eum missus est Megareus«, omnia bene se habent: nam vocabula σὺν τύχῃ τῳ cum sequentibus conjuncta eundem fere sensum habent atque enuntiatum illud in regis oratione quarta positum »Ἑρμῆς εὐλόγως συνήγαγεν«. Porro ex illa interpretatione bene intelliguntur et δέ particula, quae a vocabulis subsequentibus dirempta suadere debuit lacunam esse statuendam, et καὶ ante δὴ positum: his enim particulis conjunctis et πέπεμται perfecte appositis quod revera est factum summa gravitate pressum opponitur illi rei quae ante conditionaliter erat dicta. Ceterum non spero quemquam ad priorem sententiae partem desideraturum esse significationem Megarei nominis: nam ut est mea sententiarum formatio potest facillime ex altera sententia ad priorem nomen suppleri. Jam videtis quam bene omnia quadrent ad eam fictionem quam prius exposui. In prima porro oratione, qua Tydei adversarius describitur, rex ex libri memoria his verbis utitur:

ἐγὼ δὲ Τυδεῖ κεδνὸν Ἀστακοῦ τόκον
τόνδ' ἀντιτάξω προστάτην πυλωμάτων.

Concedendum est Richtero si retineatur τόνδε accusativus, cogitandum esse Melanippum in scena adesse. Sed, ni fallor, exspectatur articulus aut pronomen quo accuratius signetur πυλώματα. Etenim in extremis nuntii verbis porta illa erat significata nomine quo appellari solebat apposito: his nuntii verbis, quae sic sonaut:

τίν' ἀντιτάξεις τῷδε; τίς Προίτου πυλῶν
κλήθρων λυθέντων προστατεῖν φερέγγυος;

regis responsum sic videtur esse oppositum ut meo quidem

ex judicio desideretur pronomen ad πυλωμάτων adjectum. Itaque mihi arridet Grotii conjectura τῶνδε. Quae conjectura sic, ut conatus est Richterus p. 34, refutari non potest. Negavit enim quoniam a rege porta jam non esset appellata, dici aliam nisi eam quae esset in conspectu sita: hoc tamen fieri non posse, cum esset rex in arce. Equidem modo satis significasse mihi videor qua re pronomen τῶνδε commendaretur.

Ex iis quae de prima et tertia Eteoclis orationibus exposui elucet quam infirmis causis nitatur illa fictio ex qua duces in scena adesse dicuntur. Nullae causae nisi pronomina demonstrativa eam poscere videntur: sed in tertia oratione talis est sententiarum formatio ut pronomen nullo modo pertinere possit ad virum Thebanum; in priori oratione quamquam non tam firmiter potest judicari quam de tertia, aptius tamen trahitur ad portam significandam. Ceterum aliud illius fictionis vestigium illis in orationibus non invenitur: rex de viris Thebanis, ut ceteris in orationibus, narrat tertia pronominum persona usus.

Jam est quaerendum utrum rex demum in tribus ipsis orationibus portarum defensores eligere sit cogitandus an jam elegerit ante eas. In tertia oratione illud fieri satis multis de causis supra negavi; sed in prima et sexta orationibus favent Richteri interpretationi tempora futura verbi ἀντιτάττειν. Sed huic de futuris temporibus disputationi pauca sunt inserenda de clausulis nuntii orationum. Nam negavit interpres eas stare posse nisi statueremus regem in suis demum orationibus eligere defensores, atque vetuit etiam has clausulas Aeschylo tribui. Hac in re nimis argute judicasse videtur. Etenim sine dubio concesserim Richtero eas posse stare etiam si fingeretur nondum a rege duces esse electos; sed quaeritur sintne alienae ab altera fictione quam in priori tragoediae parte poetam insecutum esse ostendimus. Ut igitur scenae fundamentum omnino posset jacere, Aeschylus sic debuit rem instituere ut fingeret nuntium jam non habere cognitum quosnam duces rex elegisset ad portas defendendas. Sic ille apud portas conspexerat neminem nisi duces Argivos; Thebani iis nondum erant oppositi: immo dum redit nuntius in scenam, duces Thebanorum ad suum quisque locum proficiscuntur. Namque post vv. 265—269, quibus in versibus verba »τάξω ἀντῆρέτας εἰς ἑπτατειχεῖς ἐξόδους« nihil dicunt nisi haec »mittam adversarios in portas septem defendendas« vel ut utar lingua vernacula »ich will Vertheidiger für die sieben Thore beordern«, rex in castra festinare est cogitandus ut portarum singularum defensores eligat eosque ad suum quemque locum dimittat. Itaque quoniam nuntius non conspexit viros Thebanos hostibus

oppositos ideoque ignorabat quosnam duces rex elegisset, in exitu primae orationis apte sic potest percontari:

τίν' ἀντιτάξεις τῷδε; τίς Προίτου πυλῶν
λελῆθρων λυθέντων προστατεῖν φερέγγυος;

Haec ad nuntii verba accuratissime formati sunt regis vv. 378—379: futurum igitur tempus positum esse videtur cum consilio. Accedit quod tempus hanc habet defensionem ut liceat nobis »non ad portas verum ad ipsam decertationem referre, quasi Eteocles dicat: ad portam eam collocavi et cum isto committam vel congredientem faciam« (vid. Buecheleri disp. Mus. Rhen. vol. XV. p. 305). Ceterum ducis electioni jam antea factae rex uno loco opponit verbis apertissimis decertationem futuram: nam in quarta oratione primum significat Hyperbium jam antea destinatum esse ad Minervae portam defendendam; deinde de duobus adversariis haec dicere pergit:

ἐχθρὸς γὰρ ἀνὴρ ἀνδρὶ τῷ ξυστήσεται,
ξυνοίσετον δὲ πολεμίους ἐπ' ἀσπίδων.

In alterius porro orationis clausula quae sic sonat in libro Medicaeo:

τοιῷδε φωτὶ πέμπε· τίς ξυστήσεται;
τίς ἄνδρα κομπάζοντα μὴ τρέσας μένει;

interrogatio eadem nuntii inscientia nititur atque prioris orationis vocabula »*τίν' ἀντιτάξεις;*«, tempus autem futurum »*ξυστήσεται*« spectat ut futura de quibus modo dixi ad ipsam pugnam imminentem. Sed *πέμπε* imperativo temporis praesentis non licet nobis sic abuti, ut ipse Richterus est abusus: etenim propter ipsum illum imperativum versus magis a poeta indocto profectos esse judicat p. 38 quam librariorum culpa corruptos. Mihi quidem cetera verba tam apte videntur esse dicta ut imperativum illum, me judice nullo modo defensum sententiae formatione, ipsi poetae tribui posse negem: est potius reponendum loco »*πέμπε*« aliud verbum (sive *φράζε* sive *εἰπέ*) ex quo pendeat interrogatio subsequens. Ad extremum autem nuntii versum rex suam orationem adnectere videtur cum dicat:

καὶ τῷδε κέρδει κέρδος ἄλλο τίκτεται.

Hujus enuntiati de sensu nunc non dubitatur: etenim ut supra rex ostenderat Tydei *κόμπον* ei ipsi facile futurum esse perniciosum (vv. 385 sqq.), sic etiam (*καὶ — ἄλλο*) ex Capanei jactantia Thebanis utilitas oriri dicitur. Sed quaeritur de scriptura. Etenim movet suspicionem dativus *κέρδει*, qui non exponitur nisi cum artificio: nam »*κέρδος*« dicitur Capanei *κόμπος*, quod injicit hostibus terrorem; quae significatio est sumenda ex nuntii versu proximo »*τίς ἄνδρα κομπάζοντα μὴ τρέσας μενεῖ;*«. Haec explicatio quamquam et ipsa arctissimum nuntii

et regis orationum connexum ostendit, atque meam argumentationem fulcire videtur, tamen haud scio an sit rejicienda. Neque enim modo interpretandi artificio utimur, sed etiam »*κέρδει*«, quod est Argivorum lucrum, invenuste opponitur lucrum Thebanorum. Itaque receperim Keckii conjecturam, ex qua loco *κέρδει* restituitur *κόμπῳ*. Hoc quidem vocabulum sine nuntii clausula prorsus non intelligitur: etenim pertinet non tam ad clypei signum, quod est descriptum ante ipsam clausulam, quam, ut docent subsequentia, ad illam protervitatem qua usus in ipsum Jovem verba superba Capaneus fundere dictus erat. Aptissime igitur vocabulis *ἄνδρα κομπάζοντα* ad eam jactantiam reflectitur oratio ut hanc ad rem rex suam orationem possit adjungere. Tertiae deinde orationis clausula:

καὶ τῷδε φωτὶ πέμπε τὸν φερέγγυον
πόλεως ἀπείργειν τῇσδε δούλιον ζυγόν

— quibus in verbis *πέμπε* imperativus eadem ex re intelligitur atque orationum priorum interrogationes — bene excipitur primis regis orationis verbis:

πέμποιμ' ἂν ἤδη τῷδε. σὺν τύχῃ δέ τῳ
καὶ δὴ πέπεμπται κόμπον ἐν χεροῖν ἔχων
Μεγαρεύς.

Nam nuntio monenti ut mittat eum qui ab Eteoclo possit urbem defendere rex respondet sese nunc, si liceat, missurum esse Megareum, sed forte quadam secunda eundem jam esse missum: ait igitur quod ut fieret nuntius monuerit, revera esse factum. Jam vero sine quartae orationis clausula:

τοιοῦδε φωτὸς πεῖραν εὖ φυλακτέον.
φόβος γὰρ ἤδη πρὸς πύλαις κομπάζεται

priores regis orationis versus (484—491) stare non posse quivis concedet qui utatur sano judicio: etenim nisi nuntius dixisset ab Hippomedonte summum imminere periculum, non intelligeremus cur rex hanc orationem sic instituerit ut primum diceret ipsam Minervam urbem esse adjuturam, deinde subjiceret ejus adversarium esse Hyperbium. Atque quomodo summum Argivi timorem nuntius aptius potuit significare quam his verbis usus: »viri certamen et impetus bene sunt cavenda; nam sub ipsis portis jactat ille hostium terrorem.« Videtis regem cum consilio incipere orationem de deae tutela et de viro opponendo. Tandem in sextae nuntii orationis exitu haec legimus:

τοῦτῳ σοφούς τε χαλκάδους ἀντηρέτας
πέμπειν ἐπαινῶ δεινὸς ὃς θεοὺς σέβει.

Quae verba sic possumus interpretari ut nuntium dicentem faciamus »hortor ut huic mittantur boni fortesque adversarii«; neque tamen ulla re prohibemur quominus ex altera verbi *ἐπαινεῖν* significatione statuamus talem nuntii orationem »laudo

proboque mittere in eum bonos fortesque adversarios.« Haec interpretatio magis quam altera commendari videtur numero plurali: etenim quoniam hunc propter numerum sententia magis universa est, talis interpretatio est statuenda quae etiam ceteris in rebus verba in universum dicta esse ostendit. Sed altera illa interpretatio nititur hac una Amphiarao adversarii opponendi occasione: non perspicitur causa numeri pluralis. Jam videamus regis orationem: etenim hac in oratione iterum legimus tempus futurum »*ἀντιτάξομεν*«. Primum est monendum sententiarum connexum, in quo legitur futurum, sic esse comparatum ut aliud tempus poni non potuerit. Etenim haec dicit Eteocles: »quamquam confido Amphiaraum in portam impetum non facturum, tamen ei opponam Lasthenem« *θἐχρύξενον πυλωρόν*«; sed si posuisset rex tempus aoristum, in ipso viro Thebano eligendo debuit scire quamnam portam Amphiaraus esset sortitus: ipsa igitur sententiarum formatione tempus futurum ponere poeta coactus est. Ceterum hoc loco futurum, ni fallor, aperte prae se fert eam quam supra laudavi defensionem: nam de futura decertatione, in qua Amphiarai adversarius erit Lasthenes, esse sermonem satis ostendunt verba »*δοκῶ μὲν οὖν σφε μηδὲ προςβαλεῖ πύλαις*. Porro ad nuntii verba:

τούτῳ σοφούς τε κἀγαθοὺς ἀντηρέτας
πέμπειν ἐπαινῶ

spectant sine dubio quae de viro Thebano dicuntur in v. 605: »*γέροντα τὸν νοῦν, σάρκα δ'ἡβῶσαν φύει*«.

Ex iis quae exposui satis apparet regem omnibus in orationibus cogitari jam antea portarum defensores destinasse; nuntii autem clausulas, quae nitantur ejus de portarum defensoribus jam electis inscientia, sic excipi solere regis orationibus, vix ut credibile videatur clausulas ab alio, ab alio regis responsa profecta esse.

Sed restat septimae orationis exitus, quo exitu illa Richteri fictio ex qua cogitatur Eteocles nunc demum portae defensorem eligere apertis verbis defendi videtur. Nuntii enim v. 633 sic sonat:

σὺ δ', αὐτὸς ἤδη γνῶθι τίνα πέμπειν δοκεῖ.

Hunc versum postea irrepsisse in Aeschyli textum vir doctus demonstrasse sibi visus est. Etenim postquam ex Prienii conjectura inter se transposuit vv. 632 et 633, Ritschelio concessit eum non bene subsequi antecedentia: quae difficultas ei visa est minuere conjecturae probabilitatem; »immo probabilius est« ut ejus ipsius verbis utar, »v. 633 sine jure inculcatum esse, quod etiam aliis indiciis cognoscitur. Nam prima pars »*σὺ δ'αὐτὸς ἤδη γνῶθι*« eisdem verbis post intervallum unius versus iterum legitur, quae iteratio hic habet quod displiceat.« Huic

argumentationi mihi quidem videntur non pauca esse opponenda. Primum difficultas a Ritschelio notata est exorta versibus illis ex conjectura transpositis: cujus tamen transpositionis equidem nullam video causam. Etenim primum ἐξεύρημα dici solet quod sollerter (hanc vim habet ἐξ praepositio) est inventum. Sic apud Herodotum in primi libri c. 94 *αἱ παιγνιαί* Lydorum, in ejusdem libri c. 171 ornamenta quibus arma ornari solebant Carum ἐξευρήματα dicuntur. Itaque ipsa vocabuli significatione reducimur in interpretationem, olim ab interpretibus commendatam: pertinet ἐξεύρημα ad clypei insigne supra descriptum, atque cogitantur insignia a ducibus ipsis inventa. Sed prorsus frangitur vocabuli vis, si versus subsequenti postponetur: nam sic in universum dicitur de ducibus Argivis et praeconis nuntio atque cedit significatio clara atque perlucida interpretationi, ex qua vocabulo illo nihil signatur nisi »id quod paraverunt et agunt hostes contra urbem«. Deinde τοιαῦτα pronomen nostra ex interpretatione aptissime iis adnectitur quae proxime antecedunt. Sed quaeritur de genitivo ἐκείνων, quem sic solent docti interpretari ut dicantur omnes Argivorum duces. Hac explicatione deceptus Engerus (in ann. Fleckeis. 1857. p. 55) versu subsequenti regem statuit admoneri ut adversarios eligeret hostium ducibus. Haec opinio sine dubio est rejicienda: nam mente captus videbitur nuntius, si eum postquam sex duces jam in hostes missos esse audiverit, tunc demum regem illud facere jubere statuemus: pertinet sine dubio versus ad ipsum Polynicem. Sed quoniam et aegre desideramus hujus viri significationem et offendimur ceterorum ducum commemoratione et exspectamus ut in ceteris nuntii narrationibus clausulam ad virum antea descriptum atque Thebani cujusdam oppositionem pertinentem eandemque binariam, loco ἐκείνων genitivi scribendum censeo »ἐκείνῳ γε« vel »ἐκείνου γε«. Conferatis quaeso quod Ritschelius vv. 632 et 633 transpositis tale quid excidisse statuit:

οὕτως ὁ τοῦδε κόμπος ἐς σὲ μαίνεται.

Ceterum iisdem atque ego causis Lowinskius (in ann. Fleckeis. 1860. p. 699) eam in opinionem est ductus ut censeret sermonem esse in v. 632 de Polynicis clypeo ideoque eum suo loco retinendum; sed quod idem conjecit »ἐκείνων« dici de γράμματα, quae in v. 630 et ipsa verbis uti cogitarentur, equidem probare non possum: nam quid »τὰ γράμματα« potuerint excogitare atque invenire nemo intelliget. Jam examinemus alteram Richteri causam. Hoc concedo vocabulorum »σὺ δ' αὐτὸς ἤδη γνῶθι« iterationem displicere: sed quaeritur utri loco vocabula magis sint accomodata. Primum in priori loco αὐτός pronomen cum consilio positum videtur: etenim

pronomine nuntius leviter significare videtur ipsum Eteoclem sese fratri esse oppositurum; cui significationi favent etiam voculae »ἤδη γνῶθι« Namque propter hanc ipsam significationen hac in oratione praeco recedere videtur a formulis ceteris in admonitionibus usitatis. Deinde suo jure opposuit Ritschelius facilius idem postea repeti librariorum culpa quam quod sequeretur anteponi. Tum alterius loci vocabula »σὺ δ'αὐτὸς γνῶθι« per se videntur esse corrupta. Nam postquam nuntius hortatus est regem ut Polynici opponeret adversarium, haec dicere pergit:

ὡς οὔποτ' ἀνδρὶ τῷδε κηρυκευμάτων
μέμψει, σὺ δ' αὐτὸς γνῶθι ναυκληρεῖν πόλιν.

His verbis id potissimum poeta spectat ut dicat esse regis gubernare rempublicam. Sic tamen format sententiam ut opponat inter se praeconis et regis munera: nam in universum dici de praeconio et *κηρυκεύματα* sine articulo positum et *οὔποτε* ostendunt. Est igitur hic sententiarum connexus »jam constituas tecum quemnam missurus sis in Polynicem; etenim ut me quidem numquam vituperabis in praeconio, sic tuum est gubernare rempublicam.« Tale quid universe significatur vocabulis »ναυκληρεῖν πόλιν«, neque tamen bene exprimitur verbis »σὺ δ'αὐτός γνῶθι«; sed exspectamus τὸ σόν ἐστι (quod conjecit Ritschelius) vel locutionem similem. Ex iis quae fusius exposui apparet v. 633, propter sententiarum connexum necessarium, non posse deleri, et singularem admonitionis formam »σὺ δ'αὐτὸς ἤδη γνῶθι« defendi ea re quod exspectet nuntius regem ipsum in fratrem esse pugnaturum.

Jam satis ostendisse mihi videor unam eandemque duces eligendi fictionem servari per omnes regis et nuntii orationes, sic ut hac ex parte non licuerit Richtero statuere Sept. fabulam post Aeschyli tempora esse retractatam.

Sed in illis orationibus idem vir doctus etiam alias difficultates statuit easque ab eodem auctore, cujus esset altera duces eligendi ratio, in carmen Aeschyleum illatas. Has in offensiones praesertim cum non cohaereant cum altera illa fictione neque debuerit interpres sine causis duas res uni eidemque interpolatori ascribere, nunc mihi accuratius est inquirendum. Primum in vv. 360—362.:

Τυδεὺς μὲν ἤδη πρὸς πύλαισι Προιτίσιν
βρέμει, πόρον δ' Ἰσμηνὸν οὐκ ἐᾷ περᾶν
ὁ μάντις· οὐ γὰρ σφάγια γίγνεται καλά.

eam fictionem ex qua Tydeus vatis responso Ismenum flumen transire prohiberetur Aeschyli ingenio indignam esse censuit atque deberi interpolatoris sagacitati, qui excusari voluisset summam bis septem orationum moram. Hoc cum statueret

vir doctus nimis temere judicavit. Neque enim modo in duobus illis versiculis hoc poetae consilium invenitur, sed per totam de Tydeo narrationem tam perpetuum servatur ut versibus illis interpolatori ascriptis tota narratio eodem jure ab Aeschylo sit abjudicanda. Namque hac potissimum in re praeconis de viro Argivo narratio est posita ut eum, in proelium prodire vetitum, propter summam pugnandi cupidinem vix retineri posse diceret. Quid quod sine hac fictione ne ea quidem stare possunt quae narrantur de Tydei armis. Etenim quae in vv. 367—369 de cristis et tintinnabulis scuto affixis dicuntur vocabulis »τοιαῦτ' αὐτῶν« arctissime sunt annexa narrationi antecedenti, quae est de Amphiarao Tydeum a pugnando prohibente; quae deinde in vv. 370—372 de scuti signo sequuntur quamquam per se possunt intelligi fictione illa sublata, tamen subsequentibus, quae et ipsa absque fictione non possunt percipi, sic excipiuntur ut praemissis verbis »τοιαῦτ' ἀλύων« inter se arcto sententiarum vinculo conjungantur. Videtis totam de Tydeo narrationem pessumdari una cum fictione illa ab Aeschylo abjudicata. Porro quaeritur num consilium illud revera sit insulsum — quod Richterus opinatus est — atque poetae arte ingenioque indignum. Mihi quidem ut in prima oratione aptissime Aeschylus praeconem tale quid dicentem fecit quo excusaretur summa orationum subsequentium mora. Namque ni fallor, dum septem Argivorum duces ad Thebas urbem accedunt, hic rerum status est cogitandus. Amphiaraus vates quamquam dissuaserat ex initio bellum, tamen, ut docent vv. 42 sqq., una cum ceteris ducibus juraverat sese aut hostium urbem esse capturum aut sanguine humum respersurum. Postea Argivi, ut intelligimus ex vv. 55—56, singulas portas sunt sortiti: sed priusquam ad suam quisque portam proficisceretur, vates exercitus nomine fecit sacra, quae non secunda evenisse dicuntur v. 362. Et quamquam Polynices augurio contempto duces ad portas progredi jussit, tamen a vate quasi extremo temporis momento ab urbe oppugnanda retinetur: aptissime autem poeta tali artificio usus est ut diceret Tydeum, eum qui primo in loco ponitur, Ismenum flumen transire prohiberi; deinde quatuor Argivorum descriptionibus interpositis praeconem describentem faceret Amphiaraum atque in vv. 562 sqq. narrantem quomodo Polynicem a patriae aggrediendae consilio arcere studeret. Videtis illam fictionem ex qua vates Argivos ab urbe oppugnanda retinere cogitatur quasi complecti omnes nuntii orationes, sic ut etiam in ceteris exspectemus ejus rei vestigia. Ita de Eteoclo nuntius in tertia oratione his versibus utitur:

ἵππους δ' ἐν ἀμπυκτῆρσιν ἐμβριμωμένους
δινεῖ, θελούσας πρὸς πύλαις κεπτωκέναι.

Etenim nisi ille cogitatur impetum in hostes facere esse vetitus, non intelligitur causa cur retineat equos in portas festinantes. Porro idem fere atque de Tydeo, in quem pertinent v. 360 verba »*ἤδη πρὸς πύλαισι βρέμει*«, dicitur de Hippomedonte: nam postquam scuti signum superbum est descriptum, de ipso viro haec nuntius dicere pergit:

αὐτὸς δ' ἐπηλάλαξεν, ἔνθεος δ' Ἄρει
βακχᾷ πρὸς ἀλκὴν Θνιὰς ὡς φόνον βλέπων.
τοιοῦδε φωτὸς πεῖραν εὖ φυλακτέον·
φόβος γὰρ ἤδη πρὸς πύλαις κομπάζεται. (vv. 480 sqq.)

Quibus ex versibus extremus haec dicit »jactatur ab eo jam prope portas hostium fuga«; ad ipsum enim Hippomedontem pertinere locutionem »*φόβος κομπάζεται*« vix est monendum; deinde vocula »*ἤδη*« hoc loco arctius jungenda est cum vocabulis »*πρὸς πύλαις*« quam cum illa locutione: etenim »hostium fugam jactare« nihil peculiare habet; immo ea de causa certamen ejus et impetus bene sunt cavenda quod jactat sese jam prope portas. Deinde mihi quidem videntur Argivi nonnulli eam potissimum ob causam profiteri sese etiam contra deorum voluntatem Thebas esse oppugnaturos, quod ab impetu retinentur vatis responso, quippe qui sacris factis monuerit Thebas oppugnatum iri diis invitis.

Ex iis quae monui apparet illa de Tydeo fictione interpolatori ascripta non posse intelligi neque totam de viro illo narrationem neque singula quaedam, quae sunt ceteris in orationibus, neque — quod summum videtur — quomodo excusari potuerit totius scenae mora, quae fit dum sunt hostium copiae sub moenibus ipsis. Itaque Richterus commisit piaculum fictione illa ab Aeschylo abjudicata.

Jam vero dicam de extremis trium orationum versibus, quos interpolatoris additamentis vir doctus depravatos esse statuit. Et primum ut incipiam a rebus levioribus, judicabo de extremis versibus septimae regis orationis, qua sese ipsum in fratrem pugnaturum esse ait. Hi versus sic sonant:

τούτοις πεποιθὼς εἶμι καὶ ξυστήσομαι
αὐτός· τίς ἄλλος μᾶλλον ἐνδικώτερος;
ἄρχοντί τ' ἄρχων καὶ κασιγνήτῳ κάσις
ἐχθρὸς σὺν ἐχθρῷ στήσομαι. φέρ' ὡς τάχος
κνημῖδας, ἀσπίδος καὶ πετρῶν προβλήματα.

Offendit Richterus in verbis »*ἄρχοντί τ' ἄρχων καὶ κασιγνήτῳ κάσις, ἐχθρὸς σὺν ἐχθρῷ στήσομαι*«. Etenim in ipsa enuntiati formatione aliquid scabri inesse putavit, quod membris prioribus arcte conjunctis particulis *τε-καί* tertium adderetur sine

vinculo. Huic argumento opponendum esse puto discerni ex poetae consilio priora membra particulis connexa a membro subsequenti »ἐχθρὸς ἐχθρῷ«, quod ipsum sit arctius jungendum cum verbo »ξυστήσομαι«. Etenim rex est demonstraturus neminem sese ipso aptius pugnaturum esse cum Polynice; hostem autem cum hoste pugnare ita per se intelligitur ut in vocabulis »ἐχθρὸς ἐχθρῷ« causa ejusmodi inesse nequeat. In versu potius antecedenti »ἄρχοντί τ' ἄρχων καὶ κασιγνήτῳ κάσις« sunt causae cur rex cum Polynice velit manus conserere. Namque exarsit bellum ea de causa quod fratres inter se dissidebant de Thebanorum principatu; itaque suo jure negat Eteocles quemquam sese aptius certaturum esse cum Polynice, quod sic principes simul et fratres manus sint conserturi. Hunc sensum si versui subesse statuemus, et forma et argumentum videntur aptissima.

Nunc est disputandum de exitu illius orationis quam habet rex de Hyperbio. Primum nemo negabit turbatum esse versuum ordinem quem sic traditum legimus in libro Medicaeo:

ὁ μὲν γὰρ πυρπνόον Τυφῶν' ἔχει	494.
Ὑπερβίῳ δὲ Ζεὺς πατὴρ ἐπ' ἀσπίδος	5.
σταδαῖος ἧσται διὰ χερὸς βέλος φλέγων,	6.
κοὔπω τις εἶδε Ζῆνά που νικώμενον.	7.
τοιάδε μέντοι προσφίλεια δαιμόνων	8.
πρὸς τῶν κρατούντων ἐσμέν, οἳ δ' ἡσσωμένων,	9.
εἰ Ζεύς γε Τυφῶ καρτερώτερος μάχῃ	500.
Ὑπερβίῳ τε πρὸς λόγον τοῦ σήματος	1.
εἰκὸς δὲ πράξειν ἄνδρας ὧδ' ἀντιστάτας	2.
σωτὴρ γένοιτ' ἂν Ζεὺς ἐπ' ἀσπίδος τυχών.	3.

Namque v. 502 suo loco non stare quivis intelligit: arctissime enim cohaerent vv. 501 et 503; sed quaeritur unde sit transpositus. Librarius quidam saec. XIV. ascripsit vv. 500—503 litteras *β. γ. α. δ*, ut v. 502 reponendum suaderet inter vv. 499 et 500: neque tamen dirimi possunt hi versus. Itaque posuerunt docti versum illum ante proximum; sed displicet etiam hic locus: etenim in vv. 501 et 503 de nullo est sermo nisi de Hyperbio; sed in v. 502 agitur de pluribus adversariis atque ut indicatur pronomine *ὧδε*, debuit de iisdem dici etiam in subsequentibus. Laudo igitur Kirchhoffii conjecturam ex qua reponitur versus inter vv. 498 et 499. Porro ex Weilii conjectura v. 497 est inserendus post v. 500: etenim primum indicat v. 498 »*τοιάδε μέντοι προσφίλεια δαιμόνων*« antea de nulla re fuisse sermonen nisi de deorum inimicitia; deinde aperte ostendit v. 500 »*εἰ Ζεύς γε Τυφῶ καρτερώτερος μάχῃ*« antea non potuisse dici Jovem invictum; immo ut enuntiati vis conditionalis frangatur, post hunc versum ponenda sunt «*κοὔπω*

τις εἶδε Ζηνά του (hoc ex Elmsleii conjectura loco *που*) *νικώ μενον*«. Jam videamus sitne versuum tali in ordine repositorum sententia Aechyli ingenio indigna. Primum verbis »*τοιάδε μέντοι προσφίλεια δαιμόνων*« narratio de deorum inimicitia finitur aptissime: erat demonstrandum adversarios habere in clypeis signa deorum inter se inimicissimorum. Ceterum *τοιάδε* pronomen et *προσφίλεια* commodum sensum praebent. Etenim *τοιάδε* positum videtur, quod sunt in adversariorum clypeis Typho ignivomus, Jupiter fulminans: cogitantur igitur ipsi dei inter se pugnantes; *προσφίλεια* autem, ironice dictum, huic loco est aptissimum, ubi significatur quanta sit deorum inimicitia: namque me non intelligere libere confiteor quomodo docti, ut versum ascriberent interpolatori, abuti potuerint illo genere dicendi, quasi in usu essent interpolatoribus ejusmodi dictionis artificia. Praeterea Weilius monuit particula *μέντοι* quae praecederent sic confirmari ut transitus pararetur ad sequentia. In subsequentibus porro optime primum agitur in universum de adversariis Thebanique dicuntur victores; deinde Jupiter suum Hyperbium servaturus esse significatur. Tum virgines, quae solent singulis regis orationibus auditis a diis precari ut servent virum Thebanum, propulsent vel interficiant Argivum, hoc loco arcte, ni fallor, adnectentes ad extrema regis verba aiunt sese credere *(πέποιθα)* eum qui in clypeo habeat Jovis adversarium ante portas esse periturum. Ceterum mihi quidem enuntiatum illud conditionaliter positum »*εἰ Ζεύς γε Τυφῶ καρτερώτερος μάχῃ*« et quod subjicitur affirmative dictum »*κοὔπω τις εἶδε Ζῆνά του νικώμενον*« interpolatorem nihil sapere videntur: is tale quid ascripsisset »nemo umquam vicit Jovem«. Itaque nullam video causam cur ea ab Aeschylo sint abjudicanda, quamvis libenter concedam paulo latius quam expectemus esse expressa.

Tandem venit disputatio ad quintam regis orationem, quae exit hos in versus:

ἐλθὼν δ'ἔοικεν οὐ καπηλεύσειν μάχην,
μακρᾶς κελεύθου δ'οὐ καταισχυνεῖν πόρον
Παρθενοπαῖος Ἀρκάς. ὁ δὲ τοιόσδ'ἀνὴρ
μέτοικος, Ἄργει δ'ἐκτίνων καλὰς τροφάς,
πύργοις ἀπειλεῖ τοῖσδ' ἃ μὴ κραίνοι θεός.

Contra Ritschelii potissimum rationem, qui tribus extremis versibus alias sedes tribuit, statuit Richterus versus stare suis locis, sed additum esse ab interpolatore »*πύργοις δ'ἀπειλεῖ τοῖσδ' ἃ μὴ κραίνοι θεός*«; atque suasit talia fere restituenda:

ὃ δὲ τοιόσδ' ἀνὴρ
μέτοικος, Ἄργει δ'ἐκτίνει καλὰς τροφάς.

Versus illius interpolationem ut ostenderet, nullam attulit causam nisi similitudinem v. 409 qui de Capaneo sic sonat:

πύργοις δ'ἀπειλεῖ δεῖν' ἃ μὴ κραίνοι τύχη.

Neque tamen unam propter similitudinem licuit interpreti statuere interpolationem. Deinde, ni fallor, sic ut ille voluit oratio prorsus non potest exire: neque enim id agitur ut vir Argivis beneficia hospitalia solvere, sed ut solvens Thebas sese diruturum esse minitari dicatur. Tota vero Richteri ratio mihi quidem vehementissime displicet. Etenim primum non habet *τοιόσδε* pronomen quo pertineat: nam quoniam dubitare non possumus quin spectet ad ea quae in universum dicta sunt de Capanei indole, subjici non potest versibus proximis qui et ipsi ut ostendit potissimum *ἔοικεν* verbum, universa quadam narratione nituntur; itaque ipsum pronomen versus alio transponi jubet. Deinde quamquam concedo viro docto potuisse enuntiatum proximum sic formari ut »*Παρθενοπαῖος Ἀρκάς*« nomina postponerentur iis quae de ipso viro essent nuntiata, tamen hic illius nomen repetiisse poetam vix videtur verisimile. Namque recte monuit Ritschelius debuisse nuntium ipsum Parthenopaeum antea nominare: non sufficit eum sic significari ut ex Richteri conjectura post v. 511 ponantur talia fere »*τῆς παρθένου τὸ τέκνον, Ἀταλάντης γονήν*«; sed poscunt omni modo verba »*ὁ δ'ὠμός, οὔτι παρθένων ἐπώνυμον, φρόνημα, γοργὸν δ' ὄμμ' ἔχων*« viri ipsius nomen, neque dubium esse potest quin ipsum jam ante v. 532 aperte a poeta sit positum. Sed quaeritur possitne discerni quamnam sedem habuerint versus. Ut igitur alias conjecturas omittam, quae quantumvis acute excogitatae, mihi quidem ea potissimum difficultate laborare videntur quod tres versus dirimantur atque alii transponantur alias in sedes, recipiendam suadeo emendationem nuperrime a Kirchhoffio commendatam: jussit enim tres versus transponi post v. 520. Sic primum possunt intelligi vv. 519—520; deinde habet *τοιόσδε* pronomen quo spectet: nam antea sermo fuit de viri protervitate; tum quae minatus est Parthenopaeus in vv. 514—515 apte repetuntur v. 520 in universum dicto. Sed liceat mihi conjecturae illi addere rem pusillam. Etenim ut omnia bene procedant, hanc interpunctionum suadeo »*ὃ δὲ τοιόσδ' ἀνήρ, μέτοικος Ἄργει δ'ἐκτίνων καλὰς τροφάς*«. Namque quoniam *μέτοικος* virgulis inclusum per se non potest intelligi, hic verborum connexus statundus videtur «hic qui est talis (qualem depinxi) et solvit praeterea, ut hospes est, Argivis beneficia hospitalia, sic ut eo magis timendus videatur«. Ceterum clypei signo descripto nuntius his verbis »*ἐλθὼν δ'ἔοικεν οὐ καπηλεύσειν μάχην, μακρᾶς κελεύθου δ'οὐ καταισχυνεῖν πόρον*« orationem reflectit ad Parthenopaeum ipsum, qui vir solis verbis tam

aperte significatur ut equidem non modo non nomen sed illius loco ne pronomen quidem desiderem: immo quod deerat nomen, librarius quidam ut interpretaretur vocabula ἑλθών et μακρᾶς κελεύθου, tale quid ascripsisse videtur »Παρθενοπαῖος Ἄρκὰς ἦν«, quae verba postea una cum iis quibus excipiebantur in antecedentibus in textum irrepsisse suspicor. Sed utut origo lectionis corruptae explicabitur, hoc ostendisse mihi videor versus illos loco ubi sunt traditi stare non posse; altera autem ex parte vv. 528—529, quoniam sunt de pugna futura, bene praeparare videntur orationis clausulam, quam ut in ceteris nuntii narrationibus binariam fuisse est verisimile.

Ex iis quae exposui satis superque elucet non tam firmiter quam Richterus ausus est posse contendi exitus trium illarum orationum interpolatoris cujusdam additamentis esse depravatos: mihi potius septimae regis orationis exitus interpretationem magis quam emendationem desiderare videbatur; exitus quintae nuntii orationis, sine dubio versibus transponendis sanandus, mihi quidem nuperrime revera sanatus esse videtur; exitum quartae regis orationis, qui et ipse nunc versuum transpositione emendatu sesse videtur, non pariter pro certo affirmari potest vere esse Aeschyleum: mihi tamen nulla res obstare videbatur quominus et hunc ab ipso Aeschylo profectum esse judicarem. Sed quidquid docti statuent de illarum orationum exitu, id semper quovis pignore contendam illam de Tydeo retento fictionem ipsi Aeschylo deberi. Neque minus causis gravissimis labefactasse mihi videor fundamentum Richteri argumentationis, dico duplicem illam de ducibus elegendis fictionem, qua usus est ut ostenderet Septem adversus Thebas fabulae scenam praeclaram postea esse emendatam, quae scena et propter universam indolem et propter singula artificia mihi quidem semper prae se ferre videbitur summi tragicorum principis ingenium.

Altera pars.

Hoc summum consilium in Sept. fabula poeta est secutus ut diras quas Oedipus pater filiis erat imprecatus revera evenisse ostenderet. Quales autem fuerint illae, sine dubio altera in trilogiae fabula accuratius expositae, ex tragoedia servata facile perspicitur. Nam postquam rex de scena abiit

ut ipse cum fratre pugnaret, chorus de Oedipo et alia et haec cantat in vv. 768 sqq.:

τέκνοισιν δ' ἀρὰς
ἐφῆκεν ἐπικότους τροφᾶς,
αἰαῖ πικρογλώσσους ἀράς,
καί σφε σιδαρονόμῳ
διὰ χερὶ ποτὲ λαχεῖν
κτήματα· νῦν δὲ τρέω
μὴ τελέσῃ καμψίπους Ἐρινύς.

Sed hoc artificio poeta est usus ut in priori fabulae parte patris exsecrationem fere non commemoraret: primum ipse rex ubi audivit ex nuntio hostes impetum parare in urbem, obiter eam significat cum his utatur verbis:

ὦ Ζεῦ τε καὶ Γῆ καὶ πολισσοῦχοι θεοί,
Ἀρά τ' Ἐρινὺς πατρὸς ἡ μεγασθενής
μή μοι πόλιν γε πρεμνόθεν πανώλεθρον
ἐκθαμνίσητε.

Deinde longo spatio interposito idem tum demum patris imprecationem agnoscit ubi comperit forte quadam fatali fratrem eandem atque se sumpsisse portam. Namque sic sonant vv. 636 sqq.:

ὦ θεομανές τε καὶ θεῶν μέγα στύγος,
ὦ πανδάκρυτον ἁμὸν Οἰδίπου γένος·
ὦ μοι πατρὸς δὴ νῦν ἀραὶ τελεσφόροι.

Tum et Eteocles ipse, dum a choro in proelium prodire prohibetur, iterum atque saepius diras commemorat, et chorus, ubi alter abiit, significat et ut modo ostendi, apertius explicat. Postquam autem nuntius rediit ut mutuam fratrum caedem nuntiaret, virgines et alia et haec dicunt:

ἐξέπραξεν οὐδ' ἀπεῖπεν
πατρόθεν εὐκταία φάτις.

His versiculis summum fabulae consilium ad finem perductum esse significari videtis: neque tamen ab Aeschyli arte alienum videtur quod dum cantantur *τάδ' αὐτόδηλα* et quae sequuntur in vv. 830—839, Eteoclis et Polynicis corpora in scenam proferuntur, et deinde Antigona et Ismena sorores procedunt ut cum choro invicem cantent »*θρῆνον*« insequentem. Postquam autem chorus plangere destitit, sorores solae talem planctum edere pergunt ut Antigona Polynicem, Ismena Eteoclem lugeat; in extremis autem hujus planctus versiculis profitentur sese jam fratres prope patrem esse sepulturas. Sed nuntiat praeco, ab urbis senatoribus missus, Eteoclem regem, pro patriae salute mortuum, solemniter iri sepultum; sed Polynicem, patriae hostem, sepeliri esse vetitum: immo corpus ejus projectum iri canibus et volucribus. Huic senatorum decreto Antigona sese

obstaturam ait; et quo durius praeco repetit patriae hostem exsequiis honorari non licere, eo certius profitetur, sese fratrem terrae patriae esse tradituram. Chori autem dux animo volvit utrum Eteoclem prosequatur an potius Polynicem, qui a nullo lugeatur nisi a sorore; et dum suos quaeque pars anapaestos repetit, altera Polynicem atque Antigonam, altera Eteoclem atque Ismenam sequi est cogitanda.

Sed quaeritur sitne extrema pars, quae summum tragoediae consilium egreditur, dico eam partem quae est de praecone senatorum decreta nuntiante et de Antigona decretis obstante, sic comparata ut finis trilogiae Oedipodeae esse possit. Etenim antequam trilogiae didascalia inventa est, docti cum aliis rebus tum potissimum scena illa extrema moti sunt ut Sept. fabulam alia quadam tragoedia exceptam esse statuerent. Sed eo ex tempore quo didescalia inventa constat Sept. fabulam trilogiae fuisse extremam, interpretes id agere sunt soliti ut ostenderent tragoediam illa in scena aptissime posse subsistere. Et erat iis demonstrandum spectatores non securos neque de Polynice sepliendo neque de Antigonae salute e theatro dimitti. Quod ut ostenderent, hoc potissimum argumento usi sunt, Antigonam tam forti animo munus fratris sepeliendi suscipere, vix ut spectatores dubitare possent quin revera eo esset defunctura. Huic argumento haec videntur esse opponenda: primum si sibi proposuisset poeta ut spectatores de Polynice sepeliendo certos mitteret, aptius rem sic poterat instituere ut praeconem omnino non produceret; deinde quo certius Antigona sese senatorum decretum contempturam esse profitetur, eo magis suspensi fiunt nostri animi de illius salute. Sed dicat quispiam nihil commemorari nisi senatorum vetitum; non adjici qualis poena sit futura, si quis Polynicem sepeliverit. Hoc concedo aperte poenam non significari: sed qui quidem sano judicio utatur, facile intelliget obversari poetae animo poenam gravissimam Antigonae populi decreto obstanti imminentem. Nam si hoc negabimus, et praeconis vetitum et Antigonae facinus nullius fere erunt momenti; ex ipsius potius virginis verbis satis apparet eam summo versari in periculo. Namque in vv. 1012—1013:

ἐγώ σφε θάψω κἀνὰ κίνδυνον βαλῶ
θάψασ' ἀδελφὸν τὸν ἐμόν

ipsa profitetur sese periculum quoddam esse subituram. Neque minus de periculo cogitare videtur, cum utatur vv. 1017—1018:

τοιγὰρ θέλουσ' ἄκοντι κοινώνει κακῶν,
ψυχή, θανόντι ζῶσα συγγόνῳ φρενί.

Quae verba in universum hoc dicunt »itaque, *ψυχή*, particeps

es cum eo malorum«; »θέλουσα ἄκοντι κοινωνεῖν« jubetur ea, quod virgo ipsa est inter vivos, ita ut quod vult possit perficere, Polynices autem mortuus voluntate jam caret. Haec igitur dicentem Antigonam de summo quodam periculo cogitare per se intelligitur: neque enim alia causa potest inveniri cur adhortetur φυγήν ut libenter cum fratre malorum sit particeps. Porro populi Thebani severitatem mihi quidem praeco satis significare videtur, cum ab Antigona amplius contradicere vetitus respondeat: »τραχύς γε μέντοι δῆμος ἐκφυγών κακά«. Quid quod etiam chori dux deliberans utrum prosequatur Polynicem necne primum illud rejicit, quod metuat periculum a civibus imminens; namque hoc dicit: »ἀλλὰ φοβοῦμαι κἀποτρέπομαι δεῖμα πολιτῶν«. Quae cum ita sint, pro certo est statuendum spectatores et de Polynice sepeliendo et de Antigonae sorte incertos atque suspensos de theatro dimitti. Equidem putaverim tale quid abhorrere prorsus ab arte dramatica. Accedit quod poeta verbis apertissimis dicit Polynice et Eteocle occisis fugisse daemonem: etenim sic sonant chori vv. 931—933:

ἔσταχε δ' Ἄτας τροπαῖον ἐν πύλαις,
ἐν αἷς ἐθείνοντο καὶ
δυοῖν κρατήσας ἔληξε δαίμων.

Quid? spectatores revera fugisse daemonem fratribus caede mutua absumptis credere potuerunt, timentes ne Antigona senatorum jussu contempto summum incideret in supplicium! Et est animadvertendum Aeschylum ut servaret illam de daemonis fuga fictionem, nostra in tragoedia prorsus silentio pressisse fabulam quae narratur de Epigonis. Hac in re insequor Schneidewinii disputationem quam edidit in Philol. vol. III. Aperte fratres liberis carere dicuntur uno loco: namque postquam urbs ab hostium impetu est defensa, fratres autem inter sese occiderunt, chori dux versibus anapaesticis utens secum volvit utrum cum amicis propter urbem servatam concelebret deos an potius lugeat miseros reges ἐτέκνους (v. 810). Quod vocabulum et olim scholiasta cum aliunde haberet cognitum fuisse illis liberos, miro cum artificio est interpretatus »ἐπὶ κακῷ τεχθέντας« et recentiores corruptum statuerunt. Sed defenditur atque munitur vocabulum fictione ab Aeschylo totam per fabulam servata. Namque non uno loco dicitur Oedipi genus prorsus exstingui mutua caede Eteoclis et Polynicis. Sic rex ipse in proelium abiturus profitetur in vv. 672 sqq. esse periculum ne pereat totum Laii genus Apollini invisum. Neque minus chorus fratrum caede Oedipi genus absumptum esse significat, cum dicat Furias acrem cantum cecinisse »τετραμμένον παντρόπῳ φυγᾷ γένους« (v. 930). Porro mea quidem sententia verba quae sunt in vv. 871 sqq. non satis

possunt intelligi nisi statuemus »*διανταίαν πλαγάν*« idem esse atque »ictum mortiferum«; nam Antigonae fratrum necem lugenti respondent virgines: »dicis eos intulisse volnus mortiferum corporibus suis et domibus«. Ceterum illam ad fictionem bene quadrare videtur quod nullo loco Polynices vocatur Adrasti socer et Eteocles cum in universum verbis gravissimis invehitur in virgines pavitantes tum his utitur versibus (170 sqq.):

μήτ' ἐν κακοῖσιν μήτ' ἐν εὐεστοῖ φίλῃ
ξύνοικος εἶην τῷ γυναικείῳ γένει

sic ut vix credibile videatur eum umquam consuetudinem coluisse cum feminis. Quae cum ita sint, suo jure Schneidewinius verba »*μενεῖ κτέανα τ'ἐπιγόνοις*« admittere negat hanc interpretationem »manebunt possessiones postgenitis«, immo verba sic per ironiam accipienda esse suadet ut dicant virgines manere possessiones minoribus iis qui non sint. Haec sententia mihi quidem verbis qualia sunt tradita non satis aperte significari videtur; idem fere effertur, si facili conjectura adhibita pro dativo *ἐπιγόνοις* scribemus accusativum: habebimus enim hanc sententiam »exspectabunt vel potius desiderabunt possessiones postgenitos«. Ut igitur ostenderet poeta Polynicis et Eteoclis caede mutua revera diras esse exstinctas atque fugisse daemonem, Epigonorum fabulam neglegendam esse censuit, quae fabula non modo notissima erat aequalibus sed etiam ab ipso poeta alia in tragoedia, quae vocatur *Ἐπίγονοι*, narrata esse traditur. De fratrum igitur filiis spectatores in incerto relinqui noluit: et credemus eum de Antigonae salute eos e theatro misisse securos.

Sed facile quis poterit objicere esse nostra in tragoedia etiam alias res non magis quam scenam illam ad finem perductas. Etenim primum hac in re offenderunt viri docti quod praeter Eleoclem et Polynicem mutua manu occisos ceterorum interitus non esset memoratus, ideoque ante didascaliam inventam in tragoedia quadam subsequenti eum expositum esse censuerunt (vid. G. Hermanni op. VII. p. 209). Nunc quoniam didascalia e tenebris eruta constat substitisse trilogiam in Sept. fabula, quaeritur sitne revera illa de ceteris ducibus narratio sic comparata ut de eorum fatis incerti relinquamur. Mihi quidem poeta rem sic instituisse videtur ut vv. 776 sqq.:

πόλις πέφευγεν ἥδε δούλιον ζυγόν.
πέπτωκεν ἀνδρῶν ὀβρίμων κομπάσματα,
πόλις δ' ἐν εὐδίᾳ τε καὶ κλυδωνίου
πολλαῖσι πληγαῖς ἄντλον οὐκ ἐδέξατο.
στέγει δὲ πύργος καὶ πύλας φερεγγύους
ἑφραξάμεσθα μονομάχοισι προστάταις.
καλῶς δ'ἔχει τὰ πλεῖστ' ἐν ἓξ πυλώμασιν

et virginum chorus et spectatores de ceteris ducibus pro totius tragoediae indole satis certi fierent. Namque quoniam in vv. 50—51 Argivorum duces dicuntur Adrasti currui affixisse signa sui memora, Aeschylus illam fabulam secutus esse videtur ex qua Amphiaraus vates praedixisse traditur neminem ex ducum numero domum esse rediturum nisi Adrastum. Porro in scena illa praeclara quae est de bis septem ducibus non semel commemoratur bellum Argivis perniciosum esse futurum: sic in prima nutii narratione, quae est de Tydeo, vates suos a proelio retinere dicitur propter sacra infelicia, deinde in ea oratione, qua ipsi vati adversarius opponitur, rex eum timiditate ab impetu retineri negat, sed quod sciat sese pugnantem esse moriturum si credi liceat Apollinis oraculis. Ceterum quae memoratu digna tradita erant de nonnullorum ducum fatis satis respexit poeta in iis quae narrantur de singulis Argivis. Sic non sine certo consilio sunt scripta neque quae et ipse Capaneus jactat in vv. 440 sqq. et rex de eo respondet in vv. 427—429, neque quae Amphiaraus de sua ipsius sorte vaticinatur in vv. 570—571. Quae cum ita sint, spectatores his potissimum nuntii verbis »*πέπτωκεν ἀνδρῶν ὀβρίμων κομπάσματα*« interitus ducum Argivorum satis commonefacti videntur: neque quemquam ex Thebanorum ducibus nisi regem ipsum cecidisse potuerunt concludere his ex versibus:

στέγει δὲ πύργος καὶ πύλας φερεγγύοις
ἐφραξάμεσθα μονομάχοισι προσπάταις.
καλῶς ἔχῃ τὰ πλεῖστ' ἐν ἓξ πυλώμασιν.

Itaque me judice hac ex parte nihil amplius exspectatur. Sed cur de ceteris ducibus tam breviter atque in universum dicatur quaerenti est respondendum id potissimum egisse poetam ut nuntius virgines faceret certiores interiisse Eteoclem et Polynicem inter se pugnantes. Deinde viri docti haeserunt hac in re quod spectatores de urbis fato mitterentur securi. Nam in carmine illo, quod chorus cantat postquam rex in pugnam festinavit, exponitur propter quodnam Laii vitium Labdacidarum genus ad interitum sit destinatum: is enim quamquam ter hoc audivisset oraculum »*γέννας ἄτερ σῴζειν πόλιν*«, tamen libidine raptus filium genuisse dicitur. Illius oraculi non immemores virgines metuunt ne nunc una cum Eteocle et Polynice fratribus caede mutua perituris etiam Thebanorum urbs intereat. Hanc curam ut tollat, nuntius primum nuntiat urbem esse servatam (v. 776). Virgines autem propter fratrum caedem mutuam sic agnoscunt et Oedipi dirarum et Laii vitii vim ut haec dicant: *ἐξέπραξεν οὐδ' ἀπεῖπεν*
πατρόθεν εὐκταία φάτις.
βουλαὶ δ' ἄπιστοι Δαΐου διήρκεσαν.

Neque tamen prorsus sublata est cura quam propter Apollinis oracula de urbis salute habuerunt: etenim sic dicere pergunt:

μέρμνα δ' ἀμφὶ πτόλιν
θέσφατ' οὐκ ἀμβλύνεται.

Hanc verborum interpretationem si recte statuemus, est concedendum nos de urbis fato in incerto relinqui: sed quaeritur sitne res talis ut poeta ad certam quandam rem trilogiae fines egredientem allusisse sit cogitandus. Mea quidem sententia poeta rem certam non significat: etenim quoniam constat eum certo consilio ductum silentio pressisse bellum Epigonorum, nihil conspicitur ad quod pertinere possint illa verba. Immo virgines, antea oraculi Laio dati memores, ubi diras Oedipi revera evenisse audiverunt, verbis illis utuntur pavitantes mirantesque ut sunt insignes summa pietate. Quae cum ita sint, non spero quemquam neque de ceterorum ducum fatis narratione neque cura quae de urbis salute remaneat ,esse defensurum illam scenam, in qua poeta facit praeconem Polynicis corpus sepeliri vetantem et Antigonam vetito obstantem.

Jam quaeramus cohaereatne haec scena cum antecedentibus atque sit necesse ut subsequatur antea praeparata. Est scena in antecedentibus adeo non praeparata ut eam non modo non exspectemus, sed iis ne accommodatam quidem esse censeamus. Et primum de nuntio est dicendum qui fratrum necem pronuntiat. Namque possumus sperare eum qui sit e Thebanorum numero nobis de civium in fratres animis quid esse dicturum: illius verbis hujusmodi poeta aptissime potuit significare praeconem quendam Polynicis corpus sepeliri esse vetiturum. Etiam Welkerus quamquam scenam ab ipso Aeschylo compositam esse censet, tamen vituperavit poetam quod illud non fecisset (Kl. Schr. Th. II. p. 141).

Ex verbis potius traditis dubitare non possumus quin confidat nuntius non modo Eteoclem sed etiam Polynicem iri sepultum in terra patria. Namque his verbis utitur in v. 800:

ἔξουσι δ' ἣν λάβωσιν ἐν ταφῇ χθόνα.

Idem est judicandum de chori virginum animis. Sed priusquam hac de re disputare pergam, pauca sunt praemittenda de personis illius cantici quod hanc ad quaestionem pertinet distribuendis. Etenim nonnulli interpretes totum canticum, quod est a v. 853 usque ad v. 933, sic tibuerunt choro ut singulas stropharum particulas hemichoriis darent. Huic autem distributioni obstant magnae difficultates. Etenim primum nulla conspicitur causa cur chorus duas in partes discernatur: eodem animo omnes virgines lugent et Eteoclem et Polynicem; deinde si vv. 853—856 alteri hemichorio tribuerentur, alteri vv. 857—858, non satis intelligi monuit Weilius cur ille uteretur metris

lyricis, hic anapaesticis; tum Antigonam et Ismenam, quae adsunt in scena inde a v. 840, verbis abstinere vix videtur credibile. Quae cum ita sint, non dubito probare Bergkii sententiam, qui cum in Philol. vol. XII. p. 578 fabulae exitum non Aeschylæum esse profiteretur, sic distribuendum suasit illud canticum ut sorores cantum funebrem praeirent, virgines autem succinerent: sic respondet Antigonae verbis Ismena, chorus autem sibi ipse. Ceterum hac ex ratione chorus, ut fit, progreditur ab anapaestis ad metra lyrica. Jam videamus quidnam virgines, quae non minus quam nuntius ille civium animos cognitos habere debent, sentiant de Polynice sepeliendo. Postquam igitur Antigona est professa fratres jam nihil manere nisi »*σιδηροπλήκτους τάφων πατρῴων λαχάς*« (vv. 889—891), illae respondent sese cum luctu imis ex pectoribus vere edito duos fratres sepeliendos esse prosecuturas. Nam quae sunt in vv. 892—996 cantantur sine dubio a choro: etenim hac distributione rejecta non possunt intelligi quae proxima subsequuntur, dico verba »*ἐτύμως δακρυχέων ἐκ φρενός, ἃ κλαιομένας μου μινύθει τοῖνδε δυοῖν ἀνάκτοιν*«. Et ubi Ismena fratres et civibus suis et hostibus multa mala intulisse dixit, subjiciunt matrem infelicem suum ipsius filium sibi maritum sumpsisse atque peperisse illos fratres, sic ut caede mutua interire debuerint: nam hic sententiarum connexus est statuendus propter *ὧδε* pronomen quod legitur in v. 908. Sic iisdem honoribus prosequuntur Polynicem et Eteoclem eorumque culpam excusant nefasta origine. Porro neque Antigona neque Ismena suspicantur funus negatum iri Polynici: immo utrumque fratrem sepultum iri sperant. Etenim illa fratibus jam quidquam futurum esse negat nisi sepulcra in terra patria *(τάφων πατρῴων λαχάς)*; Ismena autem in vv. 922 sqq. haec profert: »habent miserandi sortem sortiti, dolores a diis datos; sub cadaveribus autem erit terrae immensa profunditas atque copia«. Quae verba non satis intelliguntur nisi ex Heathii interpretatione hunc sententiarum connexum statuemus «Eteocles et Polynices ambo contenderunt de terra Thebana et uterque solus totius terrae dominus esse voluit: mortuus autem, quantum terrae spatium erit sub cadavere sepulto, id sibi quisque vindicare scilicet poterit». Avaritiam igitur illam revera expletam esse poeta ironice significare voluisse videtur: haec enuntiati vis prorsus frangitur, nisi Ismenam de terra Thebana cogitare statuemus. Ex iis quae modo exposui et de nuntio et de chori virginibus et de sororibus satis superque apparet voluisse poetam hujus quidem tragoediae partis sepeliri ab ambabus sororibus in terra Thebana et Eteoclem et Polynicem: prorsus igitur repugnat scena extrema prioris fabulae partis consilio.

Accedit alia causa qua mihi quidem scenae origo Aeschylea vehementer in dubium vocari videtur. Namque quoniam post v. 988 et duae sorores in scena remanent et pracco procedit, partes agunt hac in scena tres actores. Qui personarum numerus vix debetur Aeschylo. Etenim quoniam e didascalia inventa constat Sept. fabulam doctam esse a. a. Chr. n. 467, non credibile videtur in ea fuisse tres actores. Nam quinque tantum annis distat illud tempus ab eo tempore quo Pers. fabula, ex Aeschyli tragoediis quantum sciamus antiquissima, in scenam est producta; Orestiam autem trilogiam, extremum poetae opus, decem fere annis post nostram fabulam doctam esse constat. Atque ceteris in fabulis inde a prima illa tragoedia duo tantum actores in scena verba facere solent: primum in Orestia sunt tres actores, tertio tamen perpauca tantum verba poeta tribuit. Et quamquam quivis concedit aptissima in occasione tertium Coeph. fabulae actorem, dico Pyladem, verbis uti (vv. 893—895), tamen ea ipsa ex re quod poeta eum, inde a tragoediae initio Orestis pedisequum, nihil fecit dicentem nisi tres illos versiculos videtur esse concludendum non multo ante illam trilogiam docendam poetis a republica concessos esse tres actores quos docerent fabularum partes. Itaque in Aeschyli Sept. fabula, quae est ex numero tragoediarum antiquiorum, tres actores exstitisse equidem mihi persuadere non possum.

Jam ut aliam ad causam transeamus, fabulae exitus qualem habemus traditum Aeschyli arte atque ingenio vix dignus videtur. Etenim qui quidem ceteras fabulas respexerit intelliget quam miseri sint anapaesti et ii quibus chori dux utitur deliberans utrum una cum suis prosequatur Eteoclem an potius Polynicem et ii quos recitant hemichoria aut illum aut hunc prosequentia. Solet enim Aeschylus tragoediis subjicere exitus non modo cum iis arcte cohaerentes sed etiam tota indole splendidos. Sic in Prom. fabulae exitu Mercurii Jovisque jussu irruunt tempestates vehementes: quibus tempestatibus cum omnia misceantur, Prometheus, dum precatur a matre ut sese injusta patientem aspiciat, in Orcum dejici est cogitandus; Oceanides autem, Mercurio dissuadente, sese una cum illo interituras esse profitentur. Suppl. porro fabula sic exit ut Danaides virgines una cum ancillis suis et patre ejusque pedisequis (vid. v. 986 verbi formam masculinam) in urbem profecturae primum salutent novam patriam; deinde brevibus sententiis utentes rixantur ipsae, quippe quae id unum spectent ut deprecentur nuptias perniciosas sibi ab Aegypti filiis imminentes, cum famulis timentibus ne vincantur eae ab adolescentibus: qui quod nacti sint navigationem secundam, videri

nuptias destinatas esse a Jove, neque posse vitari hujus voluntatem. Postquam autem famulae non sine ira quaerentibus concesserunt sese consilia divina non posse augurari, atque hac modestia placatis suaserunt ne curiosius inquirerent deorum voluntatem, desinit rixa: nunc universi omnes, dum de scena abeunt, et herae et famulae et rex ejusque pedisequi denuo a deo maximo precantur ut arceat nuptias perniciosas. Deinde in extrema Agam. fabulae scena chori senes cum Aegistho non modo acerbissimis verbis regis necem jactante, sed etiam hominibus sibi restituris poenas gravissimas minitante, decertaturi sunt gladiis: haec res funesta prohibetur a regina in scenam festinante, quae iratorum animis mollitis nova scelera committenda dissuadet atque pollicetur sese una cum novo conjuge omnia bene esse gubernaturam. In Choeph. autem fabulae exitu Orestes praesentit sese propter matrem necatam vexatum iri a Furiis: ejusque animus furore atque tenebris obscuratur eoque abripitur ut ipse domo patriaque pellatur. Virgines autem, dum ille de scena abit, domus regiae mala et praeterita et praesentia deplorant et dubitanter augurantur salutem futuram. Splendidissime porro finitur extrema trilogiae fabula. Namque postquam Furiae civibus novis sibi sedes concedentibus sunt gratulatae et salutaverunt deos, quibuscum versaturae essent in eadem urbe, Minervae jussu, quae ipsa, ut sequentes ducere videatur, paullo prius sese abituram esse ait (v. 981), haec exsistit pompa ut praeferant faces deae ministrae (vv. 983, 1000—1003), subsequantur autem et Areopagitae (vv. 988 sqq.) et ipsae Furiae. Inde carmen cantatur a prosequentium caterva, quo Noctis puellae graudaevae sub hilara pompa domum procedere jubentur, ut in sedibus venerandis accipiant honores atque immolationem; bis autem praeco quid interjicit quo omnes cives linguis favere jubeat. Deinde eadem caterva a Furiis subsequentibus petit ut maneant urbi in aeternum benevolae: pacem esse factam consentientibus Jove, rege Olympio, et Parca, quae numinum veterum teneat partes; bis autem idem praeco monet cives ut clamoribus comitentur canentes. Restat exitus Pers. fabulae. Hic exitus bene comparari potest cum fine, qualem ipse Aeschylus Sept. tragoediae subjecisse videtur. Namque illa in tragoedia senes et rex, postquam antea amplos luctus ediderunt de Persarum potentia fracta, adeo commoventur maerore ut invicem perpauca tantum verba effundant plangentes. Huic luctui est simillimus quem tribuit poeta nostra in fabula Antigonae et Ismenae sororibus. Nam equidem non video quo jure Bergkius hunc mutuum sororum planctum una cum scena subsequenti censuerit ab Aeschylo esse abjudicandum: errabit enim si quis opinabitur

scenae extremae auctorem certo consilio ductum fecisse Antigonam Polynicem, Ismenam Eteoclem lugentem, scilicet ut posset perspici cur postea illa Polynicem, haec Eteoclem esset sepultura. Immo quisquis accuratius luctus mutui argumentum consideraverit intelliget poetam cum alteram sororem deplorantem faceret alterum fratrem, nullum aliud consilium esse secutum nisi artificium quoddam dramaticum, ex quo hoc quidem loco praeclare lugentur singuli fratres a sororibus singulis. Neque enim ullum vestigium invenitur cur altera soror alteri fratri favere malit; non modo in extremis uniuscujusque commatii solet fieri ut sorores ambae lugeant fratres ambos, sed etiam media in epodo profitetur Ismena sibi utriusque fratris necem summos afferre dolores. Etenim postquam a sororibus singulis »*ἰὼὼ πόνος, ἰὼὼ κακὰ*« de fratribus sunt pronuntiata, non minus de iisdem dicuntur quae sunt proxima:

δώμασι καὶ χθονὶ
καὶ τὸ πρόσω γ' ἐμοί.

Quibus ex verbis ille versiculus est Antigonae, hic alterius. Deinde illa ad Polynicem conversa dicit: »*ἰὼὼ ἰὼὼ δυστάνων ἄναξ*«, haec ad Eteoclem: »*ἰὼὼ πάντων πολυστονώτατε*«; jam ambae dicere pergunt: »*ἰὼὼ δαιμονῶντες ἐν ἄτᾳ*«, quo versiculo ut in tragoedia extrema aptissime dicuntur fratres, ipsi culpa vacui, ad caedem mutuam quasi destinati fuisse. Jam subsequuntur tres versiculi quibus equidem me magis quam ceteris causis adductum esse confiteor ut sororum mutuum luctum ab ipso Aeschylo profectum esse censerem. Namque ubi Antigona interrogavit ubi fratres essent humaturae, soror autem respondit sese suadere eo loco quo esset honestissimum, ambae profitentur sese eos prope patrem esse sepulturas. His versibus tragoediae datur exitus dignissimus: namque propter totius scenae indolem poeta tragoediae finem aliter formare non potuit quam ut sorores fratres sepulturas sequerentur virgines anapaestos recitantes; illa autem sororum verba anapaestis ejusmodi aptissime potuisse excipi nemo negabit qui quidem sano judicio utatur. Quae cum ita sint, equidem contendo vv. 934—989 ab ipso Aeschylo esse compositos.

Sed quae attuli ut scenam subsequentem Aeschyleam esse negarem, mihi quidem tam gravia esse videntur ut neminem jam alteram in partem disputaturum esse sperem. Egreditur scena fabulae consilium; quae adduntur sic sunt comparata ut et relinquant in suspenso spectatores de Polynice sepeliendo atque de Antigonae salute, et in iis quae antecedunt non modo non sint praeparata, sed iis ne accommodata quidem videantur; deinde adversus Aeschyli morem, quem in prioribus quidem tragoediis eum tenuisse constat, tres personae partes

gunt; tum ipse exitus si comparabitur ceteris cum fabulis, illius poetae ingenio atque arte vix videtur dignus. Haec omnia sic mihi constant ut equidem quovis pignore contendam scenam post Aeschyli tempora esse additam.

Huc accedunt res paucae quae quamvis leves per se, tamen adjectae causis illis gravissimis meum judicium firmare videantur. Quamquam igitur et ipse Aeschylus quod exemplis potest demonstrari, sic potuit personas producere, ut adventuras antea non significaret, tamen offendimur quod hoc quidem loco sic procedit praeco, praesertim cum propter proxima sororum verba prorsus non exspectetur ullius personae adventus. Porro equidem mihi videor duo invenisse vestigia quae ostendunt scenae illius auctori propter ipsius Aeschyli carmen satis arctos fines fuisse circumscriptos in quibus suum ingenium posset exercere. Etenim primum praeco non pronuntiat supplicium quod is laturus sit, si quis contempserit senatorum vetitum: altera ex parte demonstravi et ipsum praeconem et Antigonam et chorum de gravi quodam supplicio cogitare. Suo igitur jure quis quaeret cur poeta supplicium illud praeconem aperte minitantem non fecerit: mihi quidem a poeta res ea de causa videtur esse intermissa quod ipse persensisset sese poena illa verbis apertis commemorata spectatorum animos ut in extrema quidem trilogiae fabula nimis suspensos facere. Altera offensio est ea in re quod Ismena prorsus abstinet verbis. Namque quoniam dubium esse non potest quin poeta alteram sororem sepelientem fecerit alterum fratrem, nostro jure exspectamus illam esse professuram cur malit prosequi Eteoclem; sed hac de re adeo servat silentium ut et ex Antigonae verbis, cum dicat sese nisi alius sit comitaturus, unam Polynici exsequias esse facturam (vv. 1010—1014), et ex chori ducis oratione, cum eum unius tantum sororis luctum nancisci commemoret, conjecturam facere debeamus Ismenam humaturam esse Eteoclem. Idem suadet altera pars Polynicem, altera Eteoclem prosequens. Sed cur poeta illam verbis abstinere maluerit quaerenti haec causa opinor videbitur probabilis: ipse auctor noluit prodere se ipsum quid subjecisse carmini Aeschyleo atque fecit tribus ex actoribus, quem numerum hujus poetae rationi repugnare supra satis notavi, duo tantum colloquentes secundum Aeschyli morem, tertium autem sitentium obtinentem.

Deinde ut pauca subjiciamus de dicendi genere, non desunt in extrema scena quae cum arte sint composita, ut vv. 1004—1009; et vv. 1026—1037. Sedtamen qui quidem sane judicet non negabit alia pauca profecta esse a poeta non satis perfecto. Etenim ut omittam esse in scena nonnulla singu-

lariter dicta, ut ὅσιος adjectivum cum genitivo conjunctum (v. 944), et κίνδυνον ἀναβάλλειν pro usitata locutione κίνδυνο ἀναρρίπτειν (v. 1012), prior nuntii oratio summis labora difficultatibus, quae magis poetae cuidam haud ita docto de bentur quam librariorum incuriae. Sic offenderunt interprete in vv. 993—995; quibus in versibus librariorum culpa corruptun est στυγῶν, jam a Wakefieldio emendatum in στέγων, neque minus corruptum statuemus ἐν πόλει si quidem conjungere velimus ceteris cum verbis qualia sunt tradita. Sed aliter est judicandum de ceteris. Primum displicet »θάνατον εἵλετο«. nam ex legibus grammaticae graecae medio significatur consilium atque voluntas personae agentis, sic ut »θάνατον αἱρεῖσθαι« sit »mortem praeferre vitae«. Quid autem sibi velit »hostes propulsans in portis (nam »ἐν πύλαις« videtur conjiciendum pro vocabulis »ἐν πόλει«) mortem maluit quam vitam« vix potest intelligi. Namque cum fratre pugnans rex jam non potuit deliberare utrum vitam mallet an mortem: immo dicendum erat poetae cecidisse in portis regem pro patria pugnantem. Hanc difficultatem ut tollerent docti, confugerunt ad artem emendandi, praesertim cum vidissent postea in v. 995 de Eteoclis morte aptius sermonem esse futurum; sed vanam esse emendationis medelam satis superque ostendit conjectura Weilii, qui ut restitueret orationis formam Aeschyli ingenio non indignam, loco vacabulorum »θάνατον εἵλετ' ἐν πόλει« liberrime reponenda esse suasit »ὄλεθρον εἶργε τῇ πόλει.« Mihi quidem et medium, hoc loco non recte positum, et repetio, ex qua bis dicitur de Eteoclis morte, poetae indocto videntur esse ascribenda. Etenim medium defenditur aliis illis hujus scenae locutionibus singularibus; deinde ejusdem sententiae eorundemque verborum post parvi spatii intermissionem iteratio saepius occurrit, sic ut ipsi auctori deberi videatur. Sic invenuste tribus in versibus (1011—1013) ter legitur verbum θάπτειν, (vv. 1011 habet συνθάπτειν, v. 1012 θάψω, v. 1013 θάψασ'), aptius tamen ad vv. 993—995 formationem defendendam afferri possunt quae paullo inferius leguntur in vv. 997—1003. Etenim neminem potest fugere quam infirma sint »οὓς (scil. θεοὺς) ἀτιμάσας ὅδε στράτευμ' ἐπακτὸν ἐμβαλὼν ἦρει πόλιν« post verba fortissima »ὡς ὄντ' ἀναστατῆσα Καδμείων χθονός« (v. 999). Idem persensit Weilius poetamque sic adjuvit ut v. 1003 interpolatori cuidam ascripto loco ὅδε ponendum suaderet ἔχει. Sed vereor ne vir doctus turbaverit poetae consilium. Nam postquam sunt dicta »ἄγος δὲ καὶ θανὼν κεκτήσεται θεῶν πατρῴων, exspectamus in enuntiato relativo iri commemoratum quidnam ille vivus commiserit in patriam: hoc aptissime subjici videtur v. 1003: στράτευμ' ἐπακτὸν ἐμβαλὼν ἦρει πόλιν.

Videtis hunc versum non recte tribui interpolatori: sed ipse scenae auctor in versu componendo verba »στράτευμ' ἑπακτόν ἐμβαλών« ex ipsius Aeschyli v. 566 sumpsisse videtur. Deinde offenderunt interpretes in vocabulis »*Πολυνείκους νεκρόν*«, quae sunt in v. 997: sic Weilius cum non bene convenire intellexisset »*νεκρόν*« et »*ἀναστατῆρα*«, conjecit »*Πολυνείκη λέγων*«. Est quidem probandum quod haeserunt in re viri docti; sed meo quiden judicio offensio erat notanda, non tollenda. Etenim qui quidem judicet sine animi praesumptione, concedet *νεκρόν* omnimodo requiri propter versum subsequentem »*ἔξω βαλεῖν ἄθαπτον ἁρπαγὴν κυσίν.*« Haec quae equidem attuli aperte ostendunt scenae additiciae auctorem fuisse poetam indoctum: sed spero viros doctos, qui me peritiores sunt linguae graecae legum atque orationis Aeschyleae, hac ex scena addituros esse non pauca multo spatio ab arte atque ingenio Aeschyli distantia.

Jam ut finem faciamus huic dissertationis parti, scena non multo post Antigonae Sophocleae tempora carmini Aeschyleo videtur esse adjecta. Illa enim fabula insigne Antigonae facinus tam praeclarum factum est ut cum postea quis Aeschyli tragoediam in scenam esset reducturus, eam sibi sumeret quasi ad finem perducendam.

Tertia pars.

Primum Westphalius, vir doctissimus et argutissimus, in lectionibus suis, quod comperi ex programmate a Steusloffio de Aeschyli religione conscripto (»Zeus und die Gottheit des Aeschylus« Lissa 1867) et ex iis quae Oberdickius publicavit in act. ann. lit. Jenens. 1876. sub n. 380, animos auditorum attendere est solitus ad indolem Prom. vinct. fabulae singularem eoque est progressus ut eam qualis nobis esset tradita post Aeschylum correctam esse censeret. Atque offendit virum doctum et argumentum fabulae et forma. Etenim credi posse negavit poetam qui ceteris in tragoediis religionem a patribus acceptam non modo ipse servare soleret summa cum pietate sed etiam ex ea summa cum gravitate proferre talia quibus homines ad optima quaeque possent duci, adeo a se ipsum descivisse ut hac in fabula summum deum non modo Parcis Furiisque sed etiam libidini atque arbitrio snbjiceret Titanis

cujusdam qui ipse sine dubio laesisset alterius majestatem. Summa igitur poetae religio ei versa videbatur summam in impietatem. Idem fere Steusloffius repetiit illo in programmate, cum ostenderet eum in deorum principem uti solere summa pietate atque notaret quantum interesset hanc inter pietatem et inter Prom. fabulae religionem. Sed me judice poeta dedita opera recessit a suis propriis moribus, atque defenditur diversitas totius trilogiae consilio atque indole. Nam vix possumus dubitare quin ostenderit Jovis animum, primum asperum et libidinosum, postea esse mutatum et esse eum omnium deorum optimum atque justissimum. Deinde religione illa alii cuidam auctori adscripta, non perspicitur quomodo ipse Aechylus suam fabulam formaverit. Adde quod nullum invenitur vestigium quod ostendat illam aliis esse insertam atque additam. Namque perversissime egit Kolischius cum in disputatione quae inscribitur »der Prometheus des Aechylus nur zu verstehen aus der Eigenthümlichkeit seiner Entstehungsweise« (Berlin 1876), ex iis quae pertinerent ad Promethei et Jovis mores non pauca fronte adversa sic inter se pugnare contenderet ut diversis temporibus diversisque consiliis a poeta scripta esse viderentur. Neque enim quisquis sano utitur judicio, umquam credet ullum poetam, nedum tragicorum principem, ipsum diversa atque inter se repugnantia connexuisse atque reliquisse connexum absurdum tamque facilem perspectu quam interpres ille sibi invenisse videatur: immo si revera extant in tragoedia res inter se contrariae, mea sententia debentur poetis diversis. Sed rerum illarum quidem repugnantia est in viri docti disputatione, non invenitur in Aeschyli poemate: hoc defendam in disputationis initio. Deinde nonnulla subjiciam de anapaestis cum trimetris iambicis, de quibus potissimum prior erit disputatio, arcte cohaerentibus: nam Westphalius cum in opere una cum Rossbachio de Graecorum arte metrica conscripto ageret de numeris anapaesticis (alt. edit. vol. II pp. 409 sqq.), saepissime notavit Prom. fabulae anapaestorum indolem singularem, sic ut facile quis hac singularitate usus contendere possit etiam hos versus postea esse additos. Tum disseram de Jovis cantico, cui arcte adnectuntur trimetri subsequentes; etenim idem vir doctus in vol. II prooem. p. XLVIII. hoc carmen ab Aeschyli abjudicandum esse censuit. Erit igitur haec disputatio de ea tragoediae parte quae solebat recitari et uno cantico cum ea arctissime cohaerente. Sed priusquam ad rem transeamus, benevolis judicibus confiteor me non inspexisse dissertationem quam an. 1878. H. Cramerus scripsit »Prometheum vinctum esse fabulam correctam«: sed veniam futuram esse spero me libellum a bi-

bliopolis etiam Freiburgensibus, quorum in urbe est publicatus, frustra petiisse affirmanti.

Jam disputabimus de re proposita. Kolischius in opusculo quod commemoravi suam de fabulae origine opinionem defendit sic ut ostenderet Promethum in diversis trilogiae partibus cogitare diversa de suis Jovisque sortibus futuris. Namque primum p. 69 protulit conjecturam alterius fabulae initium conscriptum esse ante fabulam priorem. Hac in quaestione silentio sum pressurus Freyi opinionem qui in prima parte opusculi nuper editi »Aeschylus-Studien. Beilage zum Osterprogramm des Schaffhauser Gymnasiums 1875« propter nonnullas prioris fabulae sententias in altera iteratas duas tragoedias unius ejusdemque trilogiae esse negavit: etenim altera fabula poscitur adeo prioris argumento atque defenditur veteribus certissimisque scholiis ut repetitiones illae nihil valere possint. Sed ut de Kolischii conjectura judicem, propter v. 29 illius fragmenti, quod in linguam vernaculam versum servavit nobis Cicero (v. Weckl. edit. pp. 122, 123), equidem mihi non possum persuadere in hac trilogiae parte Prometheum carere auguiro: potuit hic dolorum vehementia abreptus atque sortis futurae quam praesciebat immemor factus mortem optare quasi laborum exitum. Deinde nihil concluserim ea ex re quod nullam commemorat poenam nisi sese Jovis jussu a Vulcano saxis esse affixum et jecinora tertio quoque die illius aquila lacerari. Erravit enim vir doctus cum statueret eum suam in Orcum dejectionem praeterire, quod altera fabula composita esset ante priorem. Nam est concedendum poetam suo jure fecisse Prometheum hos tantum dolores narrantem quos ipsi Titanes oculis possent conspicere. Itaque mihi quidem illa Kolischii conjectura nimis argute videtur esse excogitata: etiam illa narrans Prometheus augurio praeditus esse potest.

Jam examinemus quale fuerit hoc praesagium. Namque illi interpreti nunc ad omnes res futuras, nunc solum ad Themidis quod vocatur secretum tam inconcinne pertinere videbatur ut alia alio tempore scripta esse suspicaretur. Ut igitur pauca praemittam de illo secreto, recte monent interpretes primum apud Aeschylum illum Themidis esse filium ab eaque comperisse Thetidem a summo deo, si faceret coitum, concepturam esse filium patre majorem. Neque modo hoc secretum tribuit poeta Prometheo sed ejus temporis futuri praecientiam auxit sic ut eam quidvis praesagientem faceret. Sic ut omittam eum et praedicere Aetnae montis eruptionem in vv. 371 sqq. et Jovis vagae et Herculis ut cognovimus ex alterius tragoediae fragmentis (ap. Herm. frg. 206, 208—210,

ap. Weckl. frg. VII—X), augurari sortes futuras, habet praecognitum quid sibi ipsi sit obventurum. Sed hac ex re poetae oborta est summa difficultas: nam sic debuit ille etiam praescire matris vaticinium vanum esse futurum et se ipsum vinculis iri liberatum Jovemque regnum esse servaturum. Hoc tamen Promethei praesagium et Themidis secretum Kolischius inconcinne sese excipere statuit.

Sed inquiramus accuratius quanam ratione poeta his in rebus sit usus inde a fabulae initio, praesertim cum nuper Weckleinius, vir de Aeschyli tragoediis optime meritus, in operis quod inscribitur »Studien zu Aeschylus« (Berlin 1872) p. 42 vehementur juvare monuerit persequi quomodo secreto illo fulciretur totius fabulae progressus. Atque offendit Kolischium p. 8 quod poeta neque Robur neque Vulcanum fecisset commemorantem Promethei vaticinium, quamquam ille ejus nomen derideret (v. 85), hic eum vocaret Themidis filium (v. 18). Hoc judicio nihil cogitari potest perversius: nam optime singulae personae, primum ejus vaticinii sortisque futurae insciae, his de rebus magis magisque fiunt certae. Primum autem Prometheus quid suo de fato haberet cognitum est professus, postquam post ejus adligationem de scena abierunt ceteri. Namque petit a diis quibusdam ut summos suos labores adspiciant: sic sese iri cruciatum per milia annorum (vv. 92—95). Deinde paullo inferius propter dolorum magnitudinem vaticinii sibi ipse conscius esse adeo desinit ut exclamet quando tandem laborum finis sit futurus: sedtamen ipse ut suam orationem corrigat, subjicit:

καίτοι τί φημί; πάντα προὐξεπίσταμαι
σκεθρῶς τὰ μέλλονθ', οὐδέ μοι ποταίνιον
πῆμ' οὐδὲν ἥξει.

Hos versus statuit Kolischius huic orationi una cum Jonis episodio postea ab Aeschylo esse insertos cum eum fingeret praescium omnium rerum futurarum: sed quisquis sane judicat, sine dubitatione concedet versus optime aptissimeque cum proximis cohaerentes una cum tota oratione esse scriptos. Neque quidquam sortis futurae se latere ostendit Prometheus aperte in v. 127: namque propter strepitum advenientium Oceanidum Jovis aquilam sua ipsius jecinora laceraturam advolare opinatur. His rebus poeta mihi quidem videtur auditores satis certos fecisse Prometheum praesagitione esse insignem.

Postquam porro virgines curru alato advenerunt, ille primum dolores conqueritur, deinde significat sibi esse ipsum in Jovem arma haud spernenda: sed quodnam periculum ei minitetur ex verbis satis obscuris (vv. 172, 173) neque illae neque auditores possunt conjicere; apertius tamen periculum

sese detecturum esse negat nisi Jupiter se vinculis liberaverit liberatoque poenam dederit; postea autem subjicit eum quando petiturum esse suam amicitiam atque societatem. Haec in vv. 192—195 pro certis prolata satis superque ostendunt eum habere persuasum deorum principem quando sibi esse reconciliaturum suum ipsius animum. Deinde petunt ab eo virgines et alia et ut omnia aperiat; quod quin pertineat ad obscuram illam Prometheī praesagitionem vix est dubium. Postquam autem exposuit interrogantibus quam ob rem rupi esset affixus, denuo de ejus liberatione interrogare pergunt; respondet ille dolorum finem non esse futurum nisi ipsi Jovi placuerit. Virgines tamen hos objiciunt versus (262—165):

δόξει δὲ πῶς; τίς ἐλπίς; οὐχ ὁρᾷς ὅτι
ἥμαρτες; ὡς δ' ἥμαρτες οὔτ' ἐμοὶ λέγειν
καθ' ἡδονὴν σοί τ' ἄλγος. ἀλλὰ ταῦτα μὲν
μεθῶμεν, ἄθλου δ' ἔκλυσιν ζήτει τινά.

Quos ad versus Prometheus in oratione subsequenti respondet accuratissime. Primum verbis extremis objicit homines felices facillime posse monere miseros; verbo tamen *παραινεῖν* addens alterum »*νουθετεῖν*« h. e. »reprehendere« reflectit orationem ad verba proxima, quae sunt »*οὐχ ὁρᾷς ὅτι ἥμαρτες*«; namque ait in subsequentibus in sese non cadere illud *ἁμαρτάνειν* — quo verbo significatur »quid committere inconsiderate« — atque hanc subjicit causam »sese scivisse omnia«; nam et certo quodam consilio ductum, scilicet ut homines juvaret miserandos, sese peccasse ait et sibi fuisse persuasum sese ex beneficiis a Jove, se ipso superiore, dolores esse capturum. Hae duae potissimum res mihi significari vindentur vocabulis »*ταῦθ' ἅπαντα*«. Sedtamen quamquam poenas in universum praeciebat, non speraverat tantopere sese iri vexatum quantopere revera vexaretur (vv. 271—273). Quae Prometheī verba Kolischius pp. 1, 2 vestigio carere judicavit quod ostenderet eum sortis futurae praescium. Haec concedo interpreti; attamen vereor ne manaverint versus e summa dolorum vehementia. Accedit quod dubium esse non potest quin in proximis verbis Prometheus significet rerum futurarum praescientiam: jubet enim virgines e curru in orchestram prodire, ut a sese audiant »*τὰς προσερποῦσας τύχας*«; quae, quoniam totam orationem ad illos chori ducis versus formatam esse ostendi, pertinent sine dubio ad vocubala »*δόξει δὲ πῶς; τίς ἐλπίς;*« dico eas ad interrogationes quas moverunt virgines de futura Prometheī liberatione.

Deinde offendit Kolischium p. 8 quod Oceanus nihil comperisset de generi (vv. 552—553) vaticinio. Sed nititur haec res eadem causa atque Roboris, Vulcani, Oceanidum inscitia.

Neque minus vir doctus est deceptus cum statueret Prometheum ipsum, cum illo colloquentem, prorsus inscium esse rerum futurarum: namque vv. 371—376, qui apertissime ostendunt eum virtute illa insignem, postea additos esse statuit p. 63. Sed quamvis narrationis quae est de Typhone et potissimum v. 364 colorem a Promethei persona nonnihil abhorrere atque discrepantias sic declarandas esse Weilio concedam ut eam non tam cohaerere cum totius orationis consilio atque argumento quam propter recens quoddam Aetnae incendium insertam esse judicem, tamen alterius viri ratio mihi quidem valde displicet: etenim vv. 369 et 370 propter vocabula »*ἰπούμενος ῥίζαισιν ὑπό*« et »*κορυφαῖς δ' ἐν ἄκραις*« inter se opposita ita sese excipiunt ut hic, quod alii voluerunt interpretes, ne vicibus quidem personarum sit locus, immo duo versus uno tenore fusos scriptosque esse appareat. Deinde est in v. 376 vocabulis »*κεραυνῷ Ζηνὸς ἠνθρακωμένος*« cur omnino potuerit haec de Typhone fabula addi: namque ut in narrationis insertae exitu aptissime dicitur hic non minus crudeliter a Jove punitus esse quam Atlas et ipse Prometheus. Porro fugerunt Kolischium vv. 379—380: etenim quivis agnoscet obscure alludere Titanem ad suam Jovisque reconciliationem. Sed quomodo sit factum ut poeta cum hac in scena nihil amplius apertiusque profitentem fingeret de sorte futura facile, perspicitur. Nam hac in re summa scenae vis est posita ut Oceanus credat precibus suis se posse sedare Jovis iram, Prometheus autem, non quod respexerit propter fatum preces nihil posse valere, sed sola superbia prohibitus non patiatur ut suo nomine ab eo quis precetur veniam.

Jam transeamus eam ad scenam qua Prometheus sua de hominibus merita virginibus accuratius narrat: qua in narratione repredendit vir doctus quod postquam enumerationem beneficiorum conclusisset vv. 471—473, denuo narrare pergeret in vv. 474 sqq., atque hanc alteram narrationem postea additam esse sibi persuasit. Rectissime tamen Weilius in edit. p. 57 haec adnotavit »in hoc episodio Prometheus sua in genus humanum beneficia ita exponit, ut priore dictione ea quae a ratione pendent, altera ea quae cum divinatione conjuncta sunt conprehendat.« Accedit quod haec beneficiorum divisio etiam aliis causis commendatur. Nam simulatque ille narravit qualia *μηχανήματα* hominibus tribuisset, mirantur virgines quod suis ipsius doloribus remedia non possit adhibere; respondet autem eas magis etiam esse miraturas, si audiverint quot qualesque artes docuisset genus humanum. Et revera narratione adeo movet virginum admirationem ut se sperare dicant eum sese ipsum vinculis liberaturum liberatumque Jove ipso non inferiorem

esse futurum. Videtis quam bene apteque omnia cohaereant: itaque Kolischium etiam cum vv. 509—512 proximis apte adnecti negaret p. 71, ratione excidisse apparet. Exspectationi autem illi Prometheus objicit artem qua sese possit liberare superari necessitate. Hoc ex responso Oceanides spem capere non possunt, quippe quae sibi persuaserint ipsum Jovem gubernare fata: ille autem non Jovem, sed Parcas Furiasque necessitatis gubernatores esse respondet. Virgines porro haesitantes quaerunt num ipse deorum princeps illis sit inferior: Prometheus autem eas interrogare vetat quod iis non sit detecturus. Nunc demum illae fiunt certae eum grave quid celare cum consilio atque his utuntur verbis:

ἦ πού τι σεμνόν ἐστιν ὃ ξυναμπέχεις.

Sed vetat eas hac de re dicere amplius: nam esse eam sibi celandam religiose, quod nisi secum retinuerit vincula fugere nequeat. Ex his quae adhuc exposui quivis intelliget Themidis quod dicitur secretum in fabulae progressu magis magisque fieri dilucidum: hac in re omnium plurimum valet scena quae vocatur Jonis episodium.

Sed priusquam judicem de Kolischii sententiis hac de scena prolatis, pauca praemittam de adnotatione Freyi, qui vv. 590 et 734—736 inter se pugnare statuit pp. 10—12: namque illo versu dici Jonem vexari erroribus, quod Iunoni esset invisa, altero cogitari ipsum Jovem eam facere vagantem atque errantem, ut cum ea posset concumbere. Equidem hanc repugnantiam vituperandam esse nego: etenim Prometheus aptissime inimico suo tribuit culpam errorum virginis, praesertim cum hic ipse libidine deductus primus eam prodiderit rebus adversis. Jam ut transeamus ad alterius interpretis sententias, hanc totam per scenam illum omnium rerum futurarum esse praescium et virginem omnibus ex personis unam ab ipso initio scire eum insignem esse arte vaticinandi notavit atque his de causis episodium post alia additum esse statuit. Sed obstant huic opinioni in universum haec. Aeschylus sine dubio primus Herculis causa mythum qui est de Jone cum altera de Prometheo fabula conjunxit; et quoniam Hercules omnium mythorum congruentia hunc vinculis liberasse ferebatur, est verisimillimum poetam trilogiam de Prometheo conscripturum non minus secum praeparavisse illius episodii formationem quam Prom. sol. fabulae scenam, in qua Hercules cum esset soluturus atque solutus liberatori errores atque itinera vaticinaturus. Tenet porro illa scena nostra in fabula sedem aptissimam: namque propter Jonem et ipsam Jovis libidine atque arbitrio vexatam Prometheī superbia odiumque mirum quantum crescunt, sic ut mihi quidem una cum subsequenti et inventa et

scripta esse videatur. Sed ut ipsius Kolischii causam examinemus, virgini non ex initio est persuasum vatem esse Prometheum, sed ducitur hanc in opinionem cum et patris et suum ipsius nomen neque minus laborum errorum causas audiverit ex eo quem ad id tempus numquam oculis vidisset. Itaque suo jure sperat sese ab eodem comperturam esse etiam errorum finem atque morbi remedium. Deinde postquam ille ejus errores praedixit usque dum ex Europa in Asiam esset perventura, ea metu periculorum sibi imminentium adeo commovetur ut mori malit quam tantis vexari doloribus; subjicit autem Prometheus sese quoniam sit immortalis, morte a doloribus non posse liberari; immo se iri vexatum donec Jupiter ipse regnum amittat. Deinde post paucas alias interrogationes et responsa quaesitat virgo quisnam eum principatu sit privaturus: quam ad interrogationem ille respondet eum ipsum sibi paraturum esse interitum, atque quaerenti exponit eum esse initurum nuptias sibi perniciosas; porro Joni utrum immortalem virginem sit deducturus an mortalem exploranti objicit nefas esse aperire quodnam significet matrimonium: hoc tamen addit non ipsam uxorem sed ejus filium patrem regno esse privaturum. Nunc demum compererunt et Oceanides et auditores secreti illius summum argumentum. Sed pergit virgo interrogare possitne averti periculum, et nonnulla subjiciuntur quibus certi fiamus de Promethei solutione. Namque postquam hic respondit periculum irritum fieri non posse nisi ipse vinculis esset solutus, quaesitat virgo quisnam eum sit liberaturus; vaticinatur autem Prometheus ex ejus stirpe quondam esse oriturum suum liberatorem eumque satis obscure significat hoc versu:

τρίτος γε γένναν πρὸσ δέκ' ἄλλαισιν γοναῖς.

Deinde virgini oraculum inexplicabile esse objicienti concedit optionem eligendi utrum audire malit dolorum errorumque propriorum finem an suum ipsius liberatorem: illud chori dux petit Jonis nomine, hoc sibi ipsa. Prometheus autem vaticinatur virginis errores usque dum in Aegypto partura sit Epaphum a Jove ipso conceptum; deinde ut perficiat etiam alterum promissum, narrat Danaidum in Jonis patriam reversarum sortes: unam ex iis solam Argivorum stirpem regiam esse propagaturam, hac ex stirpe — namque singula narrare esse longum — quando suum liberatorem oriturum esse ait, virum sagittis nobilem. Hoc vaticinio haud ita obscure auditorum animi attenduntur ad Herculis facinus notissimum. Ceterum hac potissimum ex re quod narrat ille accuratissime de liberatore futuro ipsum cognitum habere elucet minas in Jovem effusas vanas esse futuras: tale non hic modo Joni

et Oceanidibus, sed etiam poeta auditoribus vult persuadere. Hoc tamen loco arctissima Jovis interitus et Promethei liberationis qualis esset futura illo regnum retinente connexio ne Kolischium quidem offendit, quamquam si prorsus servasset suam ratiocinationem, quae certissime praedicuntur de Jovis interitu debuit segregare a scena cetera: verumtamen praeclare ostendit scena quomodo conjungi voluerit poeta Jovis pericula, quae erant in Themidis secreto, et certam illam Titanis liberationem.

Praeterea hanc scenam interpreti non bene excipere videbatur subsequens Promethei et virginum sermo. Nam hoc in sermone ille nihil dicit de sua liberatione; sed omnia fere pertinent ad Jovis interitum. Haec res mihi quidem sic explicanda esse videtur ut scenam priorem eam optime subsequi appareat: etenim propter Jonem novi deorum principis libidine atque arbitrio cruciatam adeo augentur Promethei odium atque ira ut jam nihil optet nisi ejus interitum; atque odio raptus luculenter significat quanta pericula ei immineant eoque progreditur ut eum revera regnum amissurum atque sese ipso crudelius vexatum iri aperte profiteatur. Sed posse secreto illo explorato et Jovem servari et ipsum suam liberationem consectari leviter tangit vv. 912—914. Deinde reprehendit vir doctus (p. 9) quod virgines haesitarent de veritate Promethei vaticiniorum, postquam antea et accepissent ab eo splendidissima augurii documenta et ipsae ei fidem habuissent. Hac tamen in scena suo jure dubiae sunt de fide vaticinii (vv. 927—929): namque in ipsum Jovem, ut ostendunt vv. 517 — 519, summa religione atque pietate utuntur, vix ut credere possint summi dei interitum ab altero certissime praedictum. Ceterum dubitationem suam exprimunt duobus tantum versiculis: namque post illius orationem objiciunt eum edicere in Jovem quae quidem ipse optet; postquam autem alter affirmavit sese praesagire ea quae et revera essent futura et ipse optaret, virgines interrogant liceatne exspectare quemquam summo deo esse majorem. Hanc ad interrogationem ille respondet eum sese ipso graviora esse passurum. Subsequentia tamen illae adjiciunt, non quod dubitent de fide Promethei, sed ut eum in Jovem nimis superbis atque audacibus verbis uti vetent. Itaque mihi quidem scena priorem bene excipere videtur; neque minus apte praeparat subsequentem.

Nam vv. 941—943, quibus Mercurius in scenam advenisse dicitur, proxime praeposita sunt haec:

δράτω (scil. *Ζεύς*), *κρατείτω τόνδε τὸν βραχὺν χρόνον*
ὅπως θέλει δαρὸν γὰρ οὐκ ἄρξει θεοῖς.

Quibus verbis cum utatur Prometheus, summam gravitatem

imponit minis, quas ipsas frangendi causa a patre missus Mercurius procedit: nomine patris qui de rebus ab illo jactatis audivisse cogitatur, est exploraturus quaenam nuptiae ei perniciosae sint futurae. Kolischius tamen p. 8. vituperavit quod deorum nuntius non haberet cognitum illum praescium esse omnium rerum: namque quoniam ei si secretum non detexisset, minaretur poenas gravissimas atque adderet insuper in vv. 1031 — 1032. Jovem non solere mentiri, sed perficere quae esset minatus, luce esse clarius eum nihil audivisse de Promethei praesagio. Sed quod supra de ceteris personis saepius dixi cadit etiam in Mercurium: hic ex poetae fictione non magis quam ipse Jupiter sciebat eum omnes res futuras habere praecognitas; atque ut persequamur Kolischii vestigia, si Aeschylus rem aliter instituisset, debuit nuntium divinum in scenam facere procedentem et coram Prometheo — verbis abstinentem. Ceterum me judice hac re mirum quantum crescere videtur Titanis superbia quod quamquam ipse non ignorat pericula imminentia, praefert tamen secum retinere secretum. Et rerum futurarum praescientiam ostendit apertissime non modo v. 1039, quem vir doctus nostrae scenae postea additum esse judicavit perversissime, sed etiam vv. 991—993: namque cum libere neget sese nisi prius vinculis solutum ullam rem esse detecturum, etiamsi Jupiter fulgura atque tonitrua mittat omniaque misceat, non immemor esse videtur poenarum gravissimarum quae revera postea fiunt.

Jam satis ostendisse mihi videor a poeta optime consociata esse minas quas Prometheus propter matris vaticinium effunderet in Jovem et quae ille de sortibus suis atque liberatione praesciret. Huc accedit quod Aeschylus non sine consilio atque artificio in exitu potissimum uniuscujusque fere scenae posuit quae pertinent ad Promethei sortem futuram: namque sic gravissime totius fabulae progressum summumque argumentum significari quivis concedet. Itaque mihi quidem constat Kolischii conjecturas omni carere fundamento. Neque minus falsus est Oberdickius cum in disputatione illa, quam supra commemoravi, propter vv. 82 et 949, in quibus diceretur Prometheus *σοφιστής*, contenderet fabulam esse retractatam sophistarum temporibus. Neque enim ex nomine illo tale quid concluserim. Nam vix dubium est quin etiam antea nomine illo in homines convicium conferri sit solitum: quod si negabitur, equidem me non intelligere confiteor quomodo potuerit transferri in philosophos res pusillas argutissime tractantes ideoque vituperandos.

Sed restant revera pauca quae rerum illarum diversarum consociationis difficultatem aperte ostendere videantur. Etenim

primum suo jure reprehenderunt interpretes quod Jupiter quamquam audivisset concubitum quando sibi futurum esse perniciosum, adeo libidine raperetur ut concumberet cum Jone et Alcmena: namque ex hac tandem, quae ipsa ab altera traheret originem, Promethei liberatorem esse naturum. Alteram difficultatem equidem mihi in eodem Jonis episodio deprendisse videor. Neque enim potuerunt, ni fallor, exspectare auditores virginem esse interrogaturam quisnam Prometheum vinculis esset liberaturus. Nam postquam Jovem filium se ipso superiorem geniturum esse comperit atque audivit periculum non posse averti nisi illius vinculis soluti beneficio, sic fere opinor orationem instituisset ut diceret propter causam modo commemoratam alterum posse sperare sese a Jove iri liberatum, nisi voluisset poeta quaedam subjici de Hercule altera in fabula Prometheum aquila catenisque liberaturo. Haec est causa cur virgo, quod quidem nemo exspectet, interroget:

τίς οὖν ὁ λύσων ἐστὶν ἄκοντος Διός;

Sed hoc de versiculo non pauca sunt subjicienda. Etenim primum Freyus monuit in adnotatione p. 10 subscripta vocabula »*ἄκοντος Διός*« fronte adversa repugnare ei rei quod ipse Prometheus aliis locis profiteretur Jovem ipsum quando vinculis sese esse liberaturum. Deinde vocabula illa per se movent suspicionem. Etenim postquam ille interrogatus possetne prohiberi summi dei periculum, fieri posse negavit, nisi ipse vinculis esset solutus, exspectamus, ut retineam interrogationis formam ipsi poetae placitam, haec »quisnam Jovis jussu te liberabit«; *ἄκοντος* quidem significationi prorsus obstat sententiarum connexus. Weckleinius igitur in opusculi quod supra citavi p. 30 suo jure facili mutatione adhibita scribendum proposuit »*εἴκοντος Διός*« h. e. cedente Jove; namque quod suasit idem hanc »*ἄκοντος*« vocabuli explicationem ut esset loco dictionis »*βίᾳ φρενῶν*«, quasi Jupiter eum solvere diceretur coactus, mihi quidem nimis argute videtur esse excogitatum. Optime porro idem interpres quae a Philodemo sunt tradita (Gomperzii stud. Herc. II. 41. Westph. prol. p. 223. Weckl. p. 26) ex Aeschyli fictione Prometheum post Themidis vaticinium pronuntiatum esse solutum, et quae sunt apud ipsum poetam (vv. 174—180, 526—527, 768, 988—990) illum non esse detecturum vaticinium nisi prius vinculis liberatum, inter se conjunxit sic ut provocaret ad argumentum Hygini fabulae 14, quod argumentum ex ipsius Aeschyli tragoediis haustum esse censuit: itaque statuit apud hunc ipsum poetam Prometheum pronuntiasse illud matris vaticinium, postquam fidem accepisset sese post pronuntiationem iri solutum. Hanc in

disputationem nuperrime ante hos paucos dies in Philol. vol. 140 pp. 227—241 impugnavit idem vir doctus, cujus ars interpretandi supra mihi erat vituperanda iterum atque saepius, tam falsas rationes secutus, ut mihi nunc ejus opinio omnimodo sit rejicienda, quantumvis angustos dissertationis fines egredi arguar. Namque primum negavit illam Hygini fabulam ex Aeschyli tragoediis esse desumptam. Primum extrema fabulae verba »et mittitur Hercules ut aquilam interficiat, quae cor ejus exedebat; eaque interfecta Prometheus post triginta annos de monte Caucaso est solutus« Bursiani (ann. Fleck. XII. p. 777) conjecturam insecutus quasi interpretamentum a cetera fabula segregavit. Sed propter verba antecedentia »Prometheus Jovi pollicetur, se eum praemoniturum, si se vinculis liberasset« et propter »fidem datam« post Themidis vaticinium pronuntiatum adeo desideratur commemoratio aquilae interfectae et Promethei soluti, ut viri docti interpolationem statuentes omni ratione excidisse videantur. Deinde ut nihil dicam de vocula »cor«, qua Kolischio origo Aeschylea in dubitationem vocari videbatur, prorsus inepte judicavit de vocabulis »post triginta annos«: namque quoniam nulla umquam invenietur causa cur quisquam incidere potuerit in numerum illum determinatum, extra ommem dubitationem est posita Weckleinii suspicio, scriptum esse in libris »post XXX ann« loco »post $\overline{\text{XXX}}$ ann« h. e. triginta millia annorum: hunc autem numerum vere Aeschyleum esse docet scholium ad v. 94 nostrae fabulae adscriptum. Porro recte monuit interpres argumentum ex hujus poetae tragoediis manasse videri, quod Prometheus unus vaticinium scire diceretur: alter autem opposuit non dici unde rem haberet cognitam, atque in altera Hygini fabula astr. poet. II. 15 eum illud a Parcis cognovisse esse traditum. Sed mihi quidem vix credibile videtur apud ullum scriptorem veterem eum umquam audivisse vaticinium a Parcis. Namque quod in hac Hygini fabula cum Jupiter Thetidis connubium pulchritudine corporis inductus peteret »illo tempore Parcae feruntur cecinisse fata, quae perfici natura voluit rerum: dixerunt enim quicunque Thetidis fuisset maritus, ejus filium patre laude majorem« ab ipso mythographo scientiam rerum antiquarum ostentante additum videtur. Huc accedit quod quae subsequuntur »quod Prometheus non voluntate, sed necessitudine vigilans auditum Jovi nuntiavit« ipsa tam obscura sunt, ut ne hoc quidem pro certo affirmare audeam apud ipsum Hyginum audivisse Prometheum Jovis periculum a Parcis. Porro interpres quamquam hac de Parcis narratione est abusus ut argumentum fabulae illius quam Weckleinius laudavit Aeschylo deberi negaret, tamen alia quae sunt in eadem fabula ex poe-

tae tragoediis desumpta esse putavit. Sed ut accuratius inquiramus in originem hujus fabulae, quae est conscripta de Herculis sagitta, sine dubio ab ipso mythographo sunt addita quae id agunt ut hominum mores a rebus mythicis deducantur. Sed prior fabulae pars iis fere convenit quae Hesiodus in Theogonia inde a v. 520 tradidit de Promethei dolis et de tauro immolato et de igne »aetheria domo subducta«, de Pandora hominibus donata, de illo punito. Una tantum in re, in tempore, per quod rupi affixus esse dicitur, determinando provocatur ad Aeschyli auctoritatem: summum hoc temporis spatium, per se vix credibile, una cum auctoris nomine adscripto est insertum narrationi aliunde desumptae. Deinde ut praeteram et quae sunt de origine aquilae Promethei jecinora lacerantis et quae de Parcarum munere ab ipso mythographo videntur esse adjecta, altera pars prorsus fere consentit argumento fabulae alterius a Weckleinio advocatae. Tertia autem pars, quae incipit ex narratione ad Herculem pertinente, sine dubio alii fonti debetur atque altera. Etenim postquam est narratum Prometheum post vaticinium Jovi pronuntiatum secundum fidem datam vinculis esse solutum, denuo narratio altera incipit de ejus liberatione: nam dicitur Hercules forte quadam viae nescius devenisse ad Prometheum eumque vinculis liberasse. Hoc ex Aeschyli tragoediis non est desumptum: namque quamquam ea de quibus agimus non leviter sunt depravata, tamen his ex verbis »contendit ut et draconem de quo diximus interfectum diceret et gratiam pro beneficio referret: nam confestim honorem quem potuit reddidit merenti« hoc unum satis superque apparet hac in narratione Herculem via ab altero demonstrata in Hispaniam venisse et inde reversum ei demum retulisse gratiam. Haec unius ejusdemque tragoedie argumento non posse accomodari quivis intelligit: itaque quomodo illa de Hercule narratione Kolischius abuti potuerit ut alterius interpretis judicium in dubium vocaret, prorsus non perspicitur. Sed altera fabulae parte Weckleinii sententia mihi quidem commendari atque firmari videtur: namque est verisimillimum eam deberi Aeschyli tragoediis. Primum haec origo proditur ea re quod vaticinium nemo Jovi pronuntiare posse dicitur praeter Prometheum; neque hac modo re quae est in altera quoque fabula sed etiam aliis causis ducimur in eandem opinionem. Nam quoniam ex poetae auctoritate aperte adhibita constat mythographum ejus tragoediam inspexisse, facile eodem fonte uti potuit etiam in Promothei solutione narranda; huc accedit quod quae feruntur de coronis nituntur sine dubio Aeschyli fabula: etenim eadem fere ex hujus poetae tragoedia sumpta traduntur apud Athen. XV.

p. 674 D. Haec omnia ipsi Aeschylo tribuendum esse suadent argumentum et hujus fabulae alterius particulae et fabulae a Weckleinio laudatae: ceterum scriptor astronomicorum hoc in sententiarum connexu Herculem non commemoravit, quod infra de ejus beneficio accuratius erat disputaturus. Itaque paene certa est illa conjectura Jovem ipsum ex fide data, postquam audivisset a Prometheo vaticinium, misisse suum filium, ut et aquilam interficeret et eum ipsum catenis liberaret. Neque enim ullo modo possunt haec segregari, quamquam dubitanter Weckleinius edit. p. 11 est suspicatus potuisse post aquilam ab Hercule interfectam virum ipsum a Mercurio vinculis solvi, et Kolischius suo ex more pro certo fere statuit (pp. 76—78) aquilam ab Hercule esse necatam, ipsum Prometheum a Vulcano solutum atque eandem fere disputationem multis verbis adjectis repetiit in ann. rer. gymn. Berol. vol. XXIII. (an. 1879). Nam obstant segregationi duae potissimum res. Atque primum quidem nemo potest cogitari qui Hercule aptius Titanem solvat vinculis. Namque ut propter vv. 1025—1028 ante ipsam solutionem debuit inveniri deus in Orcum descendere paratus, sic ipse Hercules Jovi Chironem ostendisse dicitur pro altero mortem obiturum (Apollod. bibl. II. c. 5. fab. 11 § 2; I. c. 5. fab. 4 § 6). Deinde poeta verbis apertissimis nos docet Prometheum ab illo non aquila modo sed etiam vinculis iri liberatum. Nam Vulcanus illum vincturus dicit haec: »*ὁ λωφήσων γὰρ οὐ πέφυκέ πω*« (v. 27); et ipse priusquam quid pronuntiarit de jecinoribus aquila lacerandis, vaticinatur Jovi Herculem sese doloribus esse liberaturum (vv. 769—772), paullo autem inferius utitur his versibus (869 sqq.):

σπορᾶς γε μὴν ἐκ τῆσδε φύσεται θρασύς,
τόξοισι κλεινὸς ὃς πόνων ἐκ τῶνδ' ἐμὲ
λύσει.

Quibus in verbis Hercules et aperte dicitur virum catenis liberaturus et vocabulis »*τόξοισι κλεινός*« obscure significatur aquilam necaturus quamquam hac de re nihil praedictum est. Kolischius tamen perverse abusus est his vaticiniis cum statueret poetam induxisse Prometheum de Herculis beneficio vaticinantem, priusquam quid praedixisset de jecinorum laceratione, ideoque facere non potuisse quin traduceret vaticinium ad vinculorum solutionem. At quo artificio ipse poeta hac in causa sit usus docet obscura illa significatio quae est in v. 870.

Sed haec hactenus: vereor enim ne nimis a re proposita aberasse dicar. Quae tamen attuli satis ostendere videntur Kolischium nuperrime de Promethei solutione non circumspectius judicavisse quam in iis quae antea conscripsit, ut di-

versas Prom. fabulae esse fictiones easque inventas diversis temporibus demonstraret.

Jam pauca addam de formatione versuum trimetrorum: etenim Wesphalius cum in operis metrici vol. II. p. XLVIII notaret in canticis esse numeros Aeschyli arte indignos, G. Hermannum secutus statuit etiam in trimetris discrepare non pauca ab hujus poetae normis. Sed mihi quidem hac de re cautius egisse videtur Weckleinius et in edit. prolusione (p. 23) et in interpretamentis versibus singulis subscriptis, manasse discrepantias ex singulari fabulae indole. Nam ut dicam de pedum singulorum qualitate, habent tredecim versus ex quibus unus 803 incipit ex nomine proprio, anapaestos qui vocantur cyclicos (Weckl. p. 23). Hos anapaestos ab Aeschylo praeter unum Sept. fabulae v. 522 non esse positos nisi primo in pede Christius adnotavit in artis metricae p. 526: hunc eundem usum ostendunt Prom. fabulae exempla omnia. Deinde anapaesti illi a Sophocle et Euripide saepe sic sunt formati ut haberent syllabas vocalarum plurium; sed Aeschylus sibi scripsit hanc legem nunquam violandam ut in versuum ejusmodi initio poneret vocabula vel tres vel plures syllabas amplectentia: etiam haec lex Aeschylea semper est servata nostra in fabula. Jam ne quis haereat in magno versuum ejusmodi numero — namque ex exemplis triginta, quae praeter versus usu nominum propriorum excusatos sunt in Aeschyli tragoediis, debentur huic fabulae duodecim (Weckl. p. 23) — pauci habent primo in pede vocabula quae sine licentia metrica in numeros iambicos prorsus non potuerunt redigi: sic v. 357 ex vocabulo »*ἑκατογχάρανον*,« vv. 6. 64 ex uno eodemque vocabulo »*ἀδαμαντίνων*« incipiunt. Praeterea habent vv. 370. 720 primo in pede formas ejusdem nominis »*χορυφαί*«, vv. 89. 372 formas ejusdem nominis *ποταμοί*: quae vocabulorum eorundem iteratione mihi quidem exemplorum numerus minui videtur. Porro duo tantum versus (166. 665) incipiunt ex pede tres syllabas breves amplectente sic ut mos Aeschyleus, ex quo sunt syllabae omnes unius ejusdemque vocabuli, prorsus retineatur (Christ. art. metr. p. 323 sub 2, et Weckl. v. 116 interpret). Tum ut in universum primo in pede rarissime ab Aeschylo iambi loco ponitur dactylus, sic est hac in fabula unum ejusmodi exemplum (v. 728), quod exemplum excusatur usu nominis proprii. Unus autem versus (713) in altero pede tres habet syllabas breves easque sic distributas ut prior syllaba sit vocabuli alterius, alterius ceterae; adde quod etiam hic pes efficitur usu nominis ejusdam proprii (vid. Weckl. vers. illius interpret.). Sed tertii iambi loco saepissime ponitur ab Aeschylo vel tribrachus vel quod etiam saepius fit dactylus (Christ. p. 324 Weckl.

v. 18 interpret.); itaque non offendimur quod Weckleinius ex Prom. fab. illius generis congessit exempla octo, alterius duodeviginti. His tamen ex exemplis non pauca nituntur nominibus propriis ut vv. 355. 838. 849; et vv. 18. 373. 707. 733; deinde nonnulla manaverunt ex usu eorundem vocabulorum: habent idem vocabulum »*διάδοχος*« vv. 466. 1026, idem »*ποταμός*« vv. 715. 718. Ceterum semper fere servatur illa lex Aeschylea (Christ. p. 323 sub cum. 1) ex qua prior syllaba est exitus vocabuli proximi, ceterae sunt vocabuli cujusdam tres vel plures syllabas tenentis; paucis tantum locis prior syllaba est vocula antecedentibus arcte adnexa (vv. 355, 746, 992; vv. 1006. 1026). Porro quarti iambi solutionis notanda sunt quatuor exempla: vv. 76. 276. 679. 807. Etiam his in versibus servari solet illa syllabarum distributio quam modo diximus Aeschyleam; uno in v. 276 syllaba altera et tertia efficiunt praepositionem cum subsequenti vocabulo arcte jungendam; quam syllabarum distributionem Aeschylo non raro placuisse interpres adnotavit illum ad versum. Deinde est in v. 809 idem »*ποταμός*« vocabulum quod supra saepius commemoravi hac in disputatione metrica. Jam restat pes quintus, quem solutum ostendit unus v. 52 qui exit in vocabulum quatuor tenens syllabas; atque quamquam repugnat solutio normae omnibus poetis consuetae ex qua genuini atque puri retinentur versuum exitus, tamen propter unum versum suo jure Weckleinius vetuit fabulam adscribi temporibus recentioribus, praesertim cum essent etiam in Pers. fabula tria ejusdem rei exempla (vv. 446. 490. 499).

Sequitur ut pauca addamus nonnullis de anapaestis — de parodo enim et exodo infra agemus — et de Jovis cantico versibus dochmiacis composito. Nam Westphalius cum de numeris anapaesticis ageret (vol. II. pp. 409 sqq.), nonnulla in Prom. fabulae anapaestis a ratione ceteris in tragoediis Aeschylo diversa esse statuit, quamquam ipse non aperte edixit eos a poeta esse abjudicandos. Primum igitur chori anapaesti qui sunt in vv. 280—287 cum proximis arcte cohaerent: aiunt enim virgines a Prometheo currum alatum relinquere jussae sese descendere ut audiant omnes ejus res adversas; hoc pertinet sine dubio ad v. 276 vocabula »*ὡς μάθητε διὰ τέλους τὸ πᾶν*«. Subsequuntur Oceani anapaesti, qui propter fabulae argumentum non minus quam illi videntur necessarii: etenim ex v. 300 comperimus quisnam in scenam prodierit; additur autem aptissime personae nomen, atque admiramur poetae artificium mirum in modum distans a posteriorum absurditate: namque Oceanus adeo sese amico opitulaturum esse pollicetur ut summa cum gravitate atque confidentia sub-

jiciat eum postea esse professurum neminem fideliorem esse Oceano. Ceterum argumento jubemur negare anapaestos recitari ab Oceano in scenam advolante: immo quoniam profitetur latius itineris causam suamque erga Prometheum amicitiam, aptius recitari videntur a deo jam in scena praesente. Itaque mihi quidem interpretes suo jure statuere videntur, dum deus anapaestos recitet, virgines suum quaeque in orchestra locum quaerere, postquam suos versus pronuntiantes sese ut curru descenderent accinxerint eodemque tempore alter advolaverit. Atque quamquam ceteris in tragoediis aut chorus personarum processionem aut ipsae personae suos proprios motus comitari solent anapaestorum recitatione, tamen illa quam dixi ratione usus poeta non sine artificio a lege usitata recessisse videtur. Jam ut transeamus ad Jonis anapaestos, monuit Westphalius eos unum tantum hypermetrum complecti, sed Aeschylum solere conjungere pluria. At docent argumenta anapaestorum quos citavit vir doctus ex hypermetris unum tantum solitum esse citari in personarum advenientium processu. Etenim ut omittam Suppl. fabulae vv. 933—946 nostram in disputationem non cadentes, quod vv. 933—941 pertinent ad Pelasgum regem de scena abeuntem et ceteris famulae ex loco ubi delituerunt ad suam quaeque heram accedere jubentur, pronuntiatur ex Sept. fabulae anapaestis (vv. 840 sqq.) prius hypermetrum, dum Antigona et Ismena appropinquant, altero tamen hypermetro in quo salutantur sorores jam in scena praesentes, praeparatur carmen subsequens. Deinde iis ex anapaestis qui sunt in Pers. fabulae vv. 140 sqq., citantur vv. 140—149, dum ipse chorus regiae appropinquat (vid. voc. *τόδ' ἐνεζόμενοι στέγος ἀρχαῖων*), reliqui, qui *προσπίτνω* vocabulo propter *πάντας* (v. 154) recte in *προσπίτνωμεν* emendato efficiunt unum hypermetrum, comitantur reginam in scenam prodeuntem. Nunc restat hac eadem in fabula alterum exemplum: altero hypermetro (vv. 899—902) a chori duce deploratur rex miser jam in scena praesens, ex tertio incipit propter dialectum mutatam proodus carminis subsequentis (vid. Herm. edit. vol. II. p. 251); prius autem hypermetrum recitatur ab ipso rege adveniente. Est igitur non haerendum hac in re quod ipsae personae in scenam procedentes anapaestis utuntur, praesertim cum dubium esse nequeat quin ex initio ipsis personis advenientibus ejusmodi anapaesti tribui sint soliti. Huc accedit quod me judice aptissime recitantur anaepaesti ab ipsis personis in scenam prodeuntibus ex necopinato. Ceterum ut reliquis in tragoediis solet Aeschylus hypermetro ad personarum adventum pertinenti alterum subjicere quasi cantici subsequentis proodum, sic anapaestos Jonis excipit

cantici subsequentis proodus commotiore rhythmo composita. Jam reliqui sunt anapaesti Jonis de scena decedentis. Horum versuum locus ipse per se habet speciem antiquitatis: namque monuit Westphalius anapaestos scenas concludentes ab Aeschylo saepissime mediis in tragoediis esse positos, sed sic a tragicis posterioribus repudiatos ut ab iis fere non in usum vocarentur nisi in ipso tragoediarum exitu. Sed quamquam mihi quidem constat ex initio etiam argumenta anapaestorum pertinuisse ad personarum abitum, tamen jam apud ipsum Aeschylum illis numeris subsequentia solent praeparari. Sic Pers. fabulae et vv. 530—545 et 621—630, Sept. vv. 804—813, Suppl. vv. 605—609, Agam. vv. 342—353 hoc unum spectant ut praeparent carmina proxima. Aliis locis traducimur anapaestis ad argumentum ipsarum scenarum subsequentium: namque in Choeph. fabula postquam Orestes abiit una cum matre in regiam, virgines numeris anapaesticis utentes precantur ut Agamemnonis manes opitulentur filio patrem ulturo; in ejusdem fabulae vv. 848—861 aperte dicitur de caede futura, postquam rex de scena decessit. Unum tantum inveni exemplum quod ostendit anapaestos ad personae cujusdam abitum pertinentes: recitantur, ut aperte docent vocabula »μηκέτ' ἐσέλθῃς«. Agam. fabulae vv. 1285—1288 dum Cassandra abit in domum regiam. Porro non offendimur quod tribuit poeta anapaestos ipsi Joni: namque dum profitetur sese denuo vexari furore atque doloribus, adeo ut aliam in terram abripiatur, ipsa affert causam cur de scena festinet. Ceterum non minus apte Antigona dum a Creontis famulis in carcerem abducitur (v. 939), loquitur versus anapaesticos 937—943 *). Tandem suo jure Aeschylus unum tantum hypermetrum dedit Joni: namque virgo misera atque furibunda cogitatur quasi festinanter de scena avolare.

Nunc venit disputatio ad ejusdem virginis canticum dochmiacum: namque Westphalius et in operis metrici volumine II (p. XLVIII) et in prolegomenis (p. 8) hoc canticum ab Aeschylo abiudicandum censuit quod ab ipsa sola virgine cantaretur: etenim illum cantica aut choro universo aut singulis choreutis vel cantica amoebaea et choreutis et singulis scenae personis tribuere esse solitum; posteriores solis ipsisque scenae personis dedisse cantica. Haec est una causa quam vir doctus hac in quaestione attulit. Mihi quidem totius cantici indoles adeo originem Aeschyleam prodere videtur ut illa una causa nequeat defendere viri docti judicium.

Est argumentum Aeschyli ingenio dignissimum et cohaeret cum scena subsequenti, quam ab eo ipso profectam esse nemo

*) Citantur versus Sophoclei sec. editionem Schneidewinii.

umquam poterit infitiari, tam arcte ut pro illius fundamento sit habendum. Namque primum virgo in scenam adveniens versibus illis anapaesticis utens quaerit quamnam in terram gentemque venerit; deinde Prometheo misero adspecto ejus nomen interrogat causamque poenarum. Post hanc tamen interrogationem redit ad ea quae antea quaesivit: interrogat enim denuo quamnam in terram sit vagata. Neque tamen has ad interrogationes exspectat respondenda: namque novum incidit in furorem atque opinatur Argum custodem suum ex Orco rediisse ab eoque sese agitari praeter maris oras cursu perpetuo. Ceterum non sine poetae artificio una cum novo furore incipiunt novi numeri: namque furorem bene referunt versus iambici atque dochmiaci. Deinde ut progrediamur ad numeros antistrophicos, virgo ipsa opinatur sese audire modos tibiae quibus Mercurius Argum custodientem sopivisse dicitur. Est enim deceptus Freyus cum in adnotatione p. 9 subscripta statueret vv. 570—571 non esse additos nisi ut totius de Jone mythi memoria renovaretur: ipsam virginem modos audientem aut debere mitigari, quod quidem ipso in carmine non fieret, aut quoniam res una cum rebus terrificis diceretur, terreri, quod quidem ipsi mytho repugnaret. At Io omnia quae sibi acciderint significat sic ut furore capta singularum rerum vim effectumque non amplius persequatur, sed ab alia re festinanter aberret ad aliam. Sic post illos versus deplorare pergit suas miserias atque postquam ipsi Jovi objecit quidnam erroribus vexaretur ab eodemque est precata ut morte sese liberaret a doloribus, hoc interrogat Prometheum: *κλύεις φθέγμα τᾶς βούκερω παρθένου;* hic autem et nomen virginis et errorum causam edicit; atque miratur ea unde talia audiverit petitque ab eo ut suum dicat nomen et sibi aperiat finem errorum dolorumque. Ad priorem interrogationem respondet Prometheus in vv. 609—611; quod autem ad alteram attinet, virgo, quod is quem ad id temporis numquam viderit suorum laborum errorumque initium accuratissime habeat cognitum, eam deducitur in spem ut ab eodem sese etiam errorum exitum audituram esse confidat (vid. p. 40): hac sine spe subsequentia Prometheï vaticinia omnem vim amittunt.

Deinde ut pauca subjiciamus de numeris dochmiacis, praebent ii nonnulla quae videantur esse Aeschylea. Namque primum servant responsionem accuratissimam, qua virtute carmina Aeschylea a posterioribus distare res certissima est eademque notissima. Syllabae enim ancipites non inveniuntur nisi ubi ipso argumento defenduntur. Etenim in exitu vv. 585, 605 inter se respondere possunt *ἀλύξω* et *οἶσθα*, quod gravissima interpunctione distinguuntur a proximis. Neque minus post

strophae versum alterum graviter est interpungendum. Praeterea numerorum perpetuitas, ut fit incarminibus dochmiacis, non interrumpitur: nam quoniam v. 601 cum subsequenti cohaeret arctissime, loco literarum ἔ ἔ scribendam puto interjectionem ἐή, ut respondeat vocabulo βυρά́ν; ceterum post interjectionem hiatum posse fieri in dochmiacis recte monuit Westphalius II. p. 862. Eandem porro interjectionem eadem de causa Hermannum secutus restituendam suadeo in exitu vv. 576 et 597. In mediis autem et ineuntibus versibus semper respondere solet longa syllaba longae, brevis brevi; itaque uno tantum illo in versu, qui sic est distinguendus »τηλέπλανοι πλαναί«, accuratissimae cum antistropha responsionis causa Meinekius optimo jure reposuit πολύπλανοι. Jam ut singulis de dochmiorum formis pauca addam, primum ut in ceteris Aeschyli tragoediis, sic etiam in nostro cantico saepissime occurrit haec forma quae priorem syllabam longam habet solutam duas in breves; multo rarius solvitur altera syllaba longa; sed exscripsit Westphalius praeter Prom. fabulae v. 569 (τε νῆστιν ἀνὰ τάν) quinque exempla. Pers. 660 κλύεις νέα τ'ἄχη; Sept. vv. 86, 120. Eum. 780, 857). Deinde quod quidem saepissime fit apud Euripidem, loco alterius syllabae brevis longa irrationaliter quod dicimus posita obvenit rarissime. Nam in proodi exitu hic dochmius legitur sic mutatus ut locum prioris syllabae longae teneant duae syllabae breves: quae forma, ab Euripide quidem saepissime in carminum exitu posita, etiam ab Aeschylo aut in ipso sententiarum exitu aut ut eum praepararet in usum est vocata. Etenim ut ex sex exemplis, quae praeter versum nostrum Westphalius congessit, unum segregem, dico Sept. fabulae v. 549 (= 612), — namque ex »ἀνδρῶν« novus dochmius incipere videtur — Choeph. vv. 929—939 exitum efficiunt plenae cujusdam sententiae; neque minus graviter est interpungendum post Agam. fabulae v. 1082. Eum. autem fabulae v. 157 et Sept. v. 109 (= 123) praeparant clausulam subsequentem. Postremo in tanto illo versuum antistrophicorum numero unus v. 577, cui accurate respondet v. 598, habet syllabam longam irrationaliter positam. Sed his de versibus non pauca sunt adjicienda. Etenim primum admittit syllaba longa eandem quam modo dixi defensionem: in stropha graviter interpungitur post v. 578, in antistropha medio in v. 600. Deinde sunt versus hypercatalectici: etenim egreditur syllaba extrema dochmiorum numeros. Forma autem hypercatalectica, ut comperi ex Christii arte metrica (p. 431), ab Euripide nunquam, semel a Sophocle, saepius ab Aeschylo est posita. Atque poni solebat etiam haec forma aut in sententiarum exitu aut prope clausulam: Sept. fabulae vv. 561

(= 613), 684 (= 691), Suppl. vv. 338, 381 (= 391), 611 (= 620), 614 (= 623), 657, Eum. vv. 170 (= 174). Sed una in re nostri versus forma est singularis: nam grammatici nullum notaverunt exemplum quod una cum syllaba irrationaliter producta loco alterius haberet duas syllabas breves (vid. Westphalii exempl. sub num IV. compos.).

Jam videamus Westphalii causam, quam quidem veritatis speciem prae se ferre nemo poterit negare: neque enim invenitur in sex ceteris fabulis, quae quidem nobis sunt servatae, ullum carmen ab actore uno soloque cantatum. Neque tamen huic rei talem vim tribuendam censeo qualem tribuit vir ille doctus. Etenim quoniam, ut etiam ex antiquissimis Aeschyli tragoediis intelligimus, poetis a republica concedi solebant non modo choreutae, sed etiam actores cantandi periti, non video causam cur hi cantare non potuerint nisi cum choro invicem: immo, ni fallor, licebat poetis suo ex arbitrio iis tribuere cantica ideoque dixerim etiam Aeschylum componere potuisse carmina uni soli actori cantanda.

Quae cum ita sint, satis ostendisse mihi videor levem infirmamque esse causam illam a Westphalio allatam ut Jonis canticum ab Aeschylo abjudicaret: propter connexum quo tenetur cum scena proxima vere Aeschylea, propter virtutes nonnullas, quas habent et argumentum et oratio et numeri, carmen ipsi poetae adscribendum esse contenderim. Idem mihi videtur esse statuendum de anapaestis quorum rationes singulares excusantur atque defenduntur totius fabulae indole aut aliis causis gravissimis. Sed quidquid judicabunt interpretes et de Jonis cantici et de anapaestorum origine, haec mihi quidem semper constabunt et trimetrorum versuum res proprias atque singulares manasse ex rerum singularium narratione, et erravisse Kolischium cum statueret esse in fabula diversas fictiones easque diversis temporibus ab eodem poeta inventas: nam quamquam non potest negari multas difficultates poetae esse obortas res diversissimas inter se coniungenti, tamen paucae tantum remanserunt in tragoedia perpolita; ceteras ipsi docti struxisse videntur falsas interpretandi rationes secuti.

Quarta pars.

Jam transeamus ad extremam dissertationis partem quae erit de Promethei et chori carminibus. His de canticis egit Westphalius et in praefatione operis metrici alterius voluminis (p. XLVIII) et in prolegomenorum pp. 19—191. Atque quamquam concedo virum doctum multis in rebus vidisse vera, tamen juvat vehementissime denuo in carminum indolem inquirere. Etenim primum ille brevissime significavit numeros Aeschylo esse indignos: non explicuit quomodo abhorrerent ab hujus poetae arte. Deinde mihi quidem non pauca ex iis quae propter rationes metricas ab Aeschylo aliena esse ille judicavit, hoc poeta digna videntur atque certissimis fabularum ceterarum exemplis firmata. Tum equidem mihi non pauca invenisse videor, quibus quae ipse Westphalius propter formam metricam Aeschylea esse negavit etiam aliis ex causis ab eo abiudicanda esse optime potest ostendi.

Primum est dicendum de vv. 88—127, qui a Prometheo rupi affixo proferuntur postquam a ceteris personis solus in scena est relictus. Etenim statuit vir doctus versus monodiam esse, sine dubio ab Aeschylo abjudicandam: nam cum omnino abstinuisse poetam carminibus soli cuidam actori cantandis, tum hoc praesertim canticum prae se ferre signa aetatis recentioris, quod esset compositum ex systemate anapaestico, ex trimetris iambicis, ex versibus bacchiacis dochmiacisque. De causae prioris gravitate modo satis est judicatum: neque hac modo causa sed etiam ceteris rebus vir doctus videtur esse falsus. Nam primum vix licet nobis statuere numeros dochmiacos bacchiacosque esse carminis partem; sic potius sunt intermisti versibus iambicis ut locum eorum tenere videantur. Atque intermiscuit poeta trimetris nullo modo cantatis versus bacchiacos etiam in Choeph. fabula: namque postquam Aegisthus plagam mortiferam accipiens haec effudit »*ἐὴ ὀτοτοτοῖ*«, chori dux vehementer commota, quamquam postea trimetris iambicis uti pergit, haec subjicit:

ἔα ἔα μάλα·
πῶς ἔχει; πῶς κέκραναται δόμοις;

Eodem fere modo Prometheus propter strepitum Oceanidum advenientium veritus ne novis doloribus affligatur his verbis utitur:

ἄ ἄ ἔα ἔα.
τίς ἀχώ, τίς ὀδμὰ προσέπτα μ' ἀφεγγής;

Hunc versum subsequitur trimeter iambicus qui propter prioris

syllabae longae solutionem habet indolem satis commotam. Proximus autem versus »ἵκετο τερμόνιον ἐπὶ πάγον« efficitur pedibus dochmio et cretico: namque verba tradita mihi quidem videntur esse retinenda; Dindorfius enim ἵκετο verbo, ut restitueret trimetrum iambicum, praeposito pronomine τίς poetae consilium turbasse videtur. Prometheus quaenam persona venerit jam iniuriosus (hanc rem tetigit antea), nunc pergit interrogare utrum suos dolores visura venerit illa an alio quodam consilio ducta. Ceterum monuit Weilius numeros novos significare novae rei admirationem. Jam denuo sequuntur trimetri iambici. Itaque versiculi illi duo (vv. 115. 117) non per se faciunt cantici partem: sunt ut proderent commotiorem Promethei animum, trimetris iambicis interpositi. Sed quaeritur quonam iure vir doctus dixerit vv. 88—127 monodiam. Optime ipse in Prolcg. pp. 198—199 anapaestos, choro in orchestram procedenti tribui solitos, cantatos esse negavit sed recitatos. Idem mihi quidem in hos Promethei versus cadere videtur. Nam primum omnes fere versus sunt trimetri iambici aut anapaesti quos, quoniam proxime praecedunt prius chori canticum, Prometheus recitans quasi fungi videtur vice chori qui primos anapaestos solebat recitare. Deinde equidem facere non possum quin insaniae arguam poetam, si quis adeo recesserit ab omnibus naturae legibus ut hominem pectore cuneis transverberato rupi affixum faceret cantantem versus quadraginta. Quid tandem potest inveniri, quod arte atque ingenio summi tragicorum principis magis dignum videatur quam haec Promethei oratio! Nam suo iure his in versibus admirantur interpretes ingenium Aeschyleum. Atque equidem, ut alia omittam, hoc unum monebo quanta cum arte forma metrica ipsi argumento sit adaptata. Etenim ne iterum dicam de summa versuum bacchiacorum commotione, hac in re summo artificio poeta est usus ut in v. 101 metris anapaesticis trimetros iambicos subjiceret. Etenim postquam Prometheus, ut est solus in solitudine relictus, a sociis suis, ab aere ventis mari fluviis terra sole petiit ut conspicerent qualia ipse deus pateretur a diis, summa novum in dominum ira atque summo dolore abripitur questusque quaerit quando tandem mala finem sint habitura. Jam postquam vaticinii sui est recordatus, animo sedato atque quibusnam armis inimicissimum sibi subjicere possit secum volvens utitur subsequentibus trimetris iambicis.

Nunc est dicendum de sequentibus chori carminibus. Primum Westphalius prioris carminum paris numeros iambochoriambicos ab Aeschyli arte abhorrere judicavit. Equidem concedo versus sic posse distribui ut fiant iambochoriambici;

displicet tamen haec distributio, quod sic voculae nonnullae non aptas sedes tenere videntur, uti γάρ et δέ particulae: nam incipit ex illa alter strophae versus, ex hac antistrophae paenultimus. Sed est prompta altera versuum dispositio, ex qua omnia bene profluunt. Namque gravitate interpunctionis, quae in eodem strophae (v. 132) et antistrophae (v. 149) loco invenitur, carmina duas in partes dividuntur, atque quivis intelligit post interpunctionem eandem formam metricam denuo esse positam atque in carminum initio. Exitum deinde versuum uno loco apertissime ostendunt exeuntes syllabae vocabulorum inter se respondentium πατρῴας et (εἰς) ἰδοῦσα, et alias pedes spondei commendare videntur. Haec in versibus disponendis si non neglexerimus, talem numerorum formam habebimus qualis Aeschyli arte videtur dignissima. Namque exsistunt versus nonnulli logaoedici quos efficiunt anapaesti et iambi arcte copulati, ut vv. 129—135*); alii versus sunt dactylotrochaici, ex quibus praeter v. 132 habent praemissam dipodiam iambicam vv. 128, 131, 133; v. 130 efficitur uno pede anapaesto atque parte dactylotrochaica subsequente, v. 134 constat ex parte anapaestoiambica et parte dactylotrochaica alteri arcte adnexa. Saepius autem intermiscuit poeta versus anapaestoiambicos numeris dactylotrochaicis. Hac vice funguntur Agam. fabulae vv. 660—670 et vv. 716—719, magnam ejusdem generis versuum copiam habet Sept. fabulae carmen quod est in vv. 703—709: namque hoc in carmine omnes versus numeros anapaestoiambicos habent praeter priorem et ultimum; hic autem est dactylotrochaicus, ille habet eandem formam atque primus versus illorum Prom. fabulae carminum, atque habent hanc eandem formam in Suppl. fabulae carminibus logaoedicis vv. 507, 511, 748; quorum versuum ex primo ipsum carmen incipit, altero plena quaedam sententia, tertio ipsum carmen concluditur. Itaque quamquam disceptare non audeo utrum illa Prom. fabulae cantica utantur revera numeris ionicis, quod G. Hermannus (elem. doctr. metr. p. 492), Weilius (edit. p. 113), alii statuerunt scholiastae v. 128 interpretamentum secuti, an liceat nobis statuere ea habere rhythmum logaoedicum et dactylotrochaicum et anapaestoiambicum, hoc unum contenderim Aeschylum non respuisse canticorum illorum formam metricam.

Est transeundum ad numeros carminum subsequentium. Statuit Westphalius in operis metrici prooemio eos haud ita contrarios esse legibus Aeschyleis; sed cum ageret de metris episynthetis (vol. II, 692), metricam carminum formam proxime

*) His in quaestionibus soleo laudare unius tantum strophae versus.

accedere judicavit ad leges Euripideas. Mihi quidem videtur vir doctus nimis respexisse ad numeros versuum ultimorum, quamquam, ni fallor, propter horum versuum pedes dactylos non debuit statuere placuisse poetae totis in carminibus metra episyntheta. Namque ceteri versus habent numeros iambicos catalexi quam vocamus interiore carentes. Cujusmodi versus ab Aeschylo in planctibus potissimum positos esse res est notissima: sic inveniuntur in Choeph. fabulae vv. 410—416, et in Sept. fabulae planctu illo ab Antigona et Ismena edito de fratribus mortuis et in Pers. fabulae regis senumque planctu mutuo inde a v. 1009. Itaque quamquam nemo unquam infitiabitur saepius usum esse poetam versibus iambicis catalexi interiore insignibus, tamen equidem mihi non possum persuadere eum illis in Prom. fabulae carminibus ponere non potuisse meros iambos, praesertim cum priores versus a planctu vel luctu haud ita sint diversi et iambi soluti vv. 164 et 184 optime reddant summam argumenti commotionem. Talia ipse Westphalius sensisse videtur cum in operis metrici prooemio numeros illos iambicos ab Aeschyli ratione alienos esse negaret: Euripideam quandam indolem tunc demum sibi invenisse visus est cum ageret de metris episynthetis. Atque quivis concedet in altera carminum parte poetam usum esse metris ejusmodi: etenim postquam dimetro trochaico catalectico, quam formam metricam habet v. 165, rhythmus iambicus est mutatus in trochaicum, subsequuntur dimeter dactylicus brachycatalecticus, trimeter dactylicus acatalectus arctissime copulatus cum praemissa tripodia trochaica catalectica, tetrameter dactylicus cui arcte adnectitur monometer trochaicus. Neque tamen suaserim haec metra ab Aeschylo abjudicanda: nam quoniam trecenties in fine stropharum iambicarum est usus logaoedis dactylotrochaicis, ab hac lege usitatissima facile potuit recedere sic ut loco logaoedorum breviorum poneret ampliores versus dactylotrochaicos. Accedit autem quod revera in carminum exitu saepius iambi vel trochaei excipiuntur dactylicis versibus amplioribus. Etenim in Choeph. fabulae parodo est carminis prioris iambici versus paenultimus pentameter dactylicus; sub finem porro Eum. fabulae carminis trochaici quod est inde a vv. 520 est v. 526 pentameter dactylicus brachycatalecticus; ejusdem carminis versus quartus est pentameter dactylicus atque gravissime interpungitur post subsequentem dimetrum logaoedicum alteri arctissime adnexum; neque minus pentameter dactylicus est ejusdem tragoediae carminis quod a v. 936 incipit versus quartus. Deinde si quis cum summa stropharum Euripidearum copia, quarum numeros exscripsit Westphalius pp. 694—702, comparaverit illas Prom. fabulae

strophas, facile intelliget quanto distent a legibus Euripideis: namque apud hunc poetam non modo in initio poni solent ampliores versus dactylici, quod ipse vir doctus rectissime adnotavit pp. 694—695, sed tota per carmina servantur versus dactylotrochaici sive anapaestoiambici, atque rarius occurrunt meri versus trochaici vel iambici. Quae cum ita sint, idem judicaverim de Prom. fabulae carminibus quod ipse Westphalius existimavit de Eum. fabulae canticis, quae legibus tam firmis constantibusve quam strophas Euripideas metra episyntheta amplectentes uti negavit.

Jam judicabimus de carminum argumentis. Constat igitur inter omnes tragicos posteriores chorum facere eloquentem res universas, obiter tantum personarum facinora tangentes; sed apud Aeschylum chorum tali animo esse praeditum ut alteri personarum parti faveat, alteram persequatur odio atque et ipse pro amicis non modo non verbis sed ne facinoribus quidem parcat. Hunc morem Aeschyleum mihi quidem prae se ferre videntur illa carmina: namque in ipso prioris carminis initio virgines ad proxima Promethei verba quibus sibi novos dolores futuros esse est auguratus, respicientes eum metuere vetant atque subjiciunt sese venisse amicas. Atque eas revera indulgere illi, satis discimus ex antistropha: nam postquam ille quantis doloribus vexaretur brevissime significavit, non modo miserationibus utuntur, sed etiam novos in deos atque Jovem acerbissime invehi non dubitant; deinde Prometheus ait sese maluisse in Orcum dejici, quam vinctum sic rupi affigi ut et dii et homines suis doloribus possint pasci: virgines autem respondent neminem tam durum esse quem non misereat istius rerum adversarum praeter ipsum Jovem eumque inflexo cum odio caelestes domare dicunt neque prius esse destiturum

πρὶν ἂν ἢ κορέσῃ κέαρ
ἢ παλάμῃ τινὶ τὰν δυσάλωτον ἕλῃ τις ἀρχάν.

Ceterum hac extrema sententia utentes non leviter notant summum scelus nuperrime a Jove in patrem commissum. Prometheus ad illa virginum verba suam orationem adnectens dicere pergit sese, quamquam teneatur vinculis infractis, tamen habere arma quibus tyrannus possit privari imperio nisi ipse vinculis solutus etiam dolorum injuriaeque poenas acceperit. Sed vertunt Oceanides ei opprobio quod nimis audax non flectatur laboribus gravissimis eique timentes aiunt sese vix sperare finem dolorum quando esse futurum: Jovis odium verbis non placari. Respondet autem ille sese non ignorare Jovem asperum esse atque a suis consiliis vix posse detrahi: quando tamen futurum esse mitem suamque amicitiam petiturum. Jam virgines eum omnia, scilicet quaecunque obscure significaverit

detegere sibique vinculorum causam dicere jubent. Videtis ex more Aeschyleo Oceanides eloqui apertissime non modo quanta misericordia utantur in Prometheum, sed etiam quali odio ardeant in Jovem. Accedit quod cum virginum versibus Promethei anapaesti tam arcte cohaerent ut dirempti neque hi neque illi intelligi nequeant: quantum autem valeant anapaesti in Themidis secreto atque Promethei praesagitione significandis satis superque apparere puto ex tertia dissertationis parte, sic ut idem hoc loco repetere supersedeam atque sperem neminem in dubium esse vocaturum eorum originem Aeschyleam. Eundem autem virginum animum mihi deprehendisse videor in fabulae exodo. Etenim postquam Mercurius minatus est Titanem una cum rupe cui affixus haereret summa cum tempestate in Orcum iri dejectum, jubet eas de loco cedere, ne una cum altero pereant. Sed illae eum ut aliud quid proferat admonent; modo eum suasisse malitiem neque unquam sese futuras esse proditores miseras: immo omnia se passuras cum Prometheo. Quid? virgines in versibus illis 1065, 1067 nonne Mercurium, et ipsum novum deum, despicere videntur atque contemnere! Haec omnia ad ea quae in parodo sunt professae tam bene quadrant ut et exodi vv. 1062—1069 et parodi carmina ab uno eodemque poeta profecta esse contendam. Sed quis unquam audebit illos versus suo ex connexu dirimere et alii cuidam poetae tribuere atque totam exodum! haec autem exodus propter summum argumenti, verborum, numerorum splendorem sic est comparata ut adhuc quantum sciam nemo eam abjudicaverit neque unquam quemquam abjudicaturum esse confidam a summo tragicorum principe.

Nunc considerabimus sintne ceterorum canticorum forma argumentumque Aeschyli arte digna. Et primum recte notavit Westphalius haec tria cantica ea potissimum re differre a norma Aeschylea quod prius (vv. 401—437) teneret duo tantum carmina antistrophica atque epodum subsequentem, alterum (vv. 528—554) duo carmina epodo carentia, tertium (vv. 885—905) unum tantum carmen antistrophicum atque epodum adnexam.

Nam erraverunt docti cum epodos in numeros antistrophicos disponendas esse censerent. Ut igitur primum agamus de vv. 427 sqq., interpretes stropham et antistropham inter se respondentes restituere non potuerunt nisi textu verborum ex arbitrio atque libidine mutato. Namque summa libidine versuum dispositionem insignem esse nemo negabit, qui secum consideraverit conjecturas G. Hermanni, O. Ribbeckii (Mus. Rhen. XIV. p. 424), Heimsoethii, Weilii, Weckleinii. Hermannus enim loco particulae ὀή, quae aptissime legitur in v. 427, con-

jecit *δέ*, quam particulam minus placere quam alteram vix opus est ut moneam. Idem cum perspexisset Weilius, et ipse responsionis defensor in v. 433 reposuit *δή* loco *δέ* particulae, quam quidem huic loco aptissimam esse quivis intelligit. Deinde minus caute delevit Hermannus primi versus vocabulum *ἄλλο*: etenim sine dubio ab ipso poeta est positum, ut eo magis eluceret comparatio quae fit inter Prometheum et Atlantem. Magis etiam displicet in ejusdem viri docti interpretatione quod ante *ξυμπίτνων* (v. 434) statuit lacunam. Qua in lacuna, ab ipso Hermanno non expleta, Weilius talia fere locum habuisse judicavit »*πέρις ἀείρεται*«. Excogitavit enim lacunae supplendae causa opponi inter se undas surgentes concidentesque. Sed ut omittam una cum hac conjectura novas difficultates interpreti esse obortas, sic ut deberet *ξυμπίτνων* jungere cum sequentibus atque loco *βυθός* ponere adjectivum *βαθύς* ad nomen *κλύδων* referendum, prorsus nulla conspicitur causa cur sint inter se opponendae undae surgentes et corruentes: immo hac in re vertitur cardo sententiae ut undae luctum edere dicantur; apte autem undae clamare finguntur corruentes, aptissime porro, ut vis atque gravitas sententiae augeatur, primum ipsae undae, deinde mare profundum, usque quod sonus undarum corruentium propagari cogitatur, tandem ipse Orcus lugere dicitur. Itaque alteram responsionis restituendae viam inierunt alii. Sic Heimsoethius — quem ratione excidisse constat cum in v. 435 *ἐμβρέμει* conjiceret loco *ὑποβρέμει*, quod quin ipse poeta posuerit de lugente Orco, qui esset etiam sub mari profundo, non est dubium — suo jure refutavit lacunam ab altero interprete ante »*ξυμπίτνων*« participium statutam; sed delevit metri causa non pauca strophae verba: ut O. Ribbeckius vocabula »*Τιτᾶνα λύμαις*«, solus e textu expulit *ἀδαμαντοδέτοις*, cujus loco alter scripsit *ἀχαμάτοις* ad *πόνοις* dativum pertinens. Praeterea Heimsoethius audacissime »*δαμέντ' εἰσιδόμαν θεών*« vocabula mutavit in »*εἰδόμαν θεῶν δαμέντ'*«. Weilius porro et ipse rejecit »*Τιτᾶνα λύμαις*«; Ribbeckianae tamen conjecturae »*ἀχαμάτοις*« loco posuit *ἀχάμπτοις*. Weckleinius tandem in editionis apendice non modo aliorum interpretamenta probavit, sed etiam vocabula *Ἄτλανθ'* et *νώτοις*, quod nomen mihi quidem poetice atque significanter positum videtur, ab interpolatore profecta odoratus esse sibi visus est. Videtis quam varia et perversa protulerint docti ut restituerent numeros antistrophicos, quos carmen amplecti sine causa sibi persuaserant. Itaque suadeo quod Dindorfius et nuperrime Kirchhoffius indicaverunt in editionibus, carmen esse habendum pro epodo strophis antecedentibus subjecta.

De nonnullis autem difficultatibus, quae offenderunt interpretes in vv. 427—432, infra accuratius disseram.

Idem quod judicavi de vv. 427—435 est judicandum de vv. 899—905. Namque ne hos quidem versus G. Hermannus ut alios omittam qui idem ante eum sunt conati, juste redegit in numeros antistrophicos. Etenim quamquam recte mutasse videtur *ὅτι* in *ὅτε* particulam, ut esset »*ὅτε ὁμαλὸς ὁ γάμος*« sententia temporalis quae fere abiisset in enuntiatum conditionale, tamen primum *οὐδέ* particulae, quam ante *δέδια* posuit loco *οὐ*, nulla causa potest excogitari; deinde in vv. 900—901, in quos ille ante *χρειασσόνων* inculcavit *του (-τινός)*, propter sententiam nihil prorsus desideratur; tandem verba tradita *ἄφυκτον ὄμμα προσδράκοι με* mutavit liberrime: postposuit enim *με* pronomen illi *του*, reliqua autem transposuit sic »*προσδράκοι ὄμμ' ἄφυκτον*«.

Jam qui quidem tabulam inspexerit quam de Aeschyli tragoediarum canticis Westphalius exscripsit in Proleg. pp. 10—13, facile intelliget Prom. fabulae carmina tam parum esse ampla ut mirum in modum differant a summa carminum Aeschyleorum amplitudine. Etenim hujus poetae cantica habere solent minimum tria carminum paria; neque tamen raro fit ut habeant quinque carmina antistrophica. Agam. vero fabulae canticum prius complectitur septem, prius Suppl. fabulae canticum octo strophas antistrophasque. Tria tantum extant carmina illa Prom. fabulae cantica amplitudine non superantia. Attamen primum chori cantica, quae sunt in hujus ejusdem fabulae parodo, solent excipi Promethei anapaestis, atque habere videtur parodus universa amplitudinem Aeschylo dignam. Deinde Agam. fabulae duo carminum paria quae sunt in vv. 938—987 et ipsa summum versuum tenent numerum ideoque vix videtur esse violata lex Aeschylea. Tum Sept. fabulae canticum, quod est in vv. 813—839, ea de causa a poeta non amplius est productum quod interrumpitur Antigonae et Ismenae adventu: quae postquam suum in locum processerunt, denuo chorus una cum iis planctum edere pergit.

Itaque carminum brevitas est prima causa cur ea ab ipso Aeschylo profecta esse negem. Altera causa nititur ea re quod omnium fere carminum numeri abhorrent a more Aeschyleo, pauca tales habent numeros quales inveniuntur etiam ceteris in tragoediis. Et primum carmina quae sunt inde a v. 401 iisdem fere numeris utuntur atque parodi prius carmen antistrophicum: quos numeros Aeschyli arte non esse indignos supra (p. 56) satis ostendi. Hoc unum moneo omnium simillima esse his carminibus Sept. fabulae carmina quae sunt in vv. 703 sqq.

Prorsus aliter est judicandum de numeris carminum subsequentium. Etenim ut aperte indicant syllabae ancipites quae bis inveniuntur in vv. 417, 421, 418, 422, sese excipiunt tres dimetri trochaici acatalecti, subsequuntur duo versus logaoedici. Tales autem numeros, normis Aeschyleis prorsus contrarios, indolem Euripideam spirare potest ostendi. Namque ut pauca addam de variis numerorum trochaicorum formis, Aeschylus, in nonnullis omnium tragoediarum canticis metris trochaicis uti solitus, saepissime posuit dimetros trochaicos in fine uniuscujusque metri catalecticos. Haec forma, quae ei tam sancta fuit ut in quovis fere cantico trochaico uteretur, postea usu excidit: unum apud Euripidem exemplum est Iph. Aul. v. 297*): »*βαρβάρους βάριδας*«. Deinde dimetri trochaici, in altero tantum metro catalectici, et apud Aeschylum et apud Euripidem sunt in usu: ab hoc autem tam saepe ponuntur ut suo jure grammatici metrum vocare potuerint *Εὐριπίδειον*. Apparet igitur post Aeschyli tempora magis placuisse formam sedatam quam commotam. Dimeter porro prorsus acatalectus, qui ne alterius quidem formae vim assequitur, apud Aeschylum numquam fere invenitur. Exscripsit enim Westphalius tria tantum exempla; quibus tamen ex exemplis id quod est ex Agam. fabula hoc quidem loco vix videtur esse commemorandum. Etenim sua ex libidine restituit vir doctus versiculum illius formae metricae: nam quoniam prior pars carminis quod incipit a v. 959 composita est ex versibus dactylicis et anapaesticis, placet vehementissime clausula dactylotrochaica:

ἀνδρὸς ἔπαισεν ἄφαντον ἕρμα.

Quibus verbis ut restitueret responsionem, Weilius in antistropha etiam sententiam verborum adjuvans scripsit »*Ζεὺς ἀπέπαυσεν ἐπ' εὐλαβείᾳ*«; reposuit igitur loco voculae *αὖτ'*, quae sensu carens in codice legitur ante *ἔπαυσ'*, praepositionem illam cum verbo arcte jungendam, et scripsit loco vocabulorum »*ἔπαυσ' ἐπ'*« levi medicina adhibita »*ἔπαυσεν ἐπ'*.« Ceterum pro proximi versus negatione *οὐδέ*, quae et ipsa intelligi non potest, conjecit idem interpres cum veritatis specie particulam *εὖτε*. Sed quidquid de ipsis conjecturis judicabitur, hoc mihi quidem est certissimum Weilii rationem praeferendam esse conjecturae Hermanni, antistropham amputantis; est enim valde cavendum ne deleantur verba adeo sensu carentia ut interpolationis causa prorsus nequeat excogitari. Itaque malim cum Weilio in stropha post *εὐθυπορῶν* lacunam statuere et retinere clausulam illam supra laudatam; atque vetamur carmen illud advocare in disputationem movendam de dimetris acatalectis. Sed in Sept. fabulae carmine quod est inde a v. 328 excipiunt

*) citantur versus Euripidei sec. editionem Nauckii.

priorem partem, logaoedos amplectentem, versus trochaici, quibus ex versibus prior est trimeter trochaicus catalecticus, alter dimeter trochaicus acatalectus; subsequuntur duo dimetri catalectici, unus trimeter catalecticus; clausula autem est versus trimeter iambicus qui et in fine metri prioris et in alterius initio habet catalexim. Porro in Eum. fabulae carmine quod est a v. 486 inter alios versus trochaicos, qui solent habere vel priorem vel alteram formam, unus v. 492 est dimeter acatalectus. Neque ab Euripide quidem hic versus maxime sedatus saepe est positus. Namque in Phoen. fabulae carmine quod est in vv. 239 sqq. versus dimetros trochaicos catalecticos, qui septies sese excipiunt, et versum spondiacum subsequitur unus versus dimeter trochaicus acatalectus (v. 247), una pentapodia trochaica et ipsa acatalecta, clausulae loco dimeter trochaicus catalecticus. In fabulae ejusdem epodo quae est a versu 676 inter versus trochaicos catalecticos et nonnullos iambicos legitur unus v. 678 dimeter trochaicus acatalectus. Ejusdem formae versus trochaici sunt plures in carminibus antecedentibus; quorum prior pars tota fere est composita ex dimetris catalecticis; acatalecti intermisti sunt vv. 645 (= 664), 649 (= 668); et vv. 640—641 (= 659—660), qui quidem potissimum cadunt nostram in disputationem. Etenim quicunque carmina Euripidea recitaverit voce alta, sentiet quantopere proximis versibus catalecticis superetur vis trochaicorum versuum acatalectorum sese excipientium. Et haec potissimum vis fracta offendit animos illa Prom. fabulae carmina legentium: prorsus deest illa *μεγαλοπρέπεια*, quae ut nihil dicam de carminibus praeter ipsam partem trochaicam etiam alius generis numeros amplectentibus, apud Aeschylum solet gigni proxime compositis et dimetris trochaicis sive dicatalectis sive simpliciter catalecticis et trimetris catalecticis. De ultimis autem versiculis logaoedicis nihil habeo quod addam: namque lex est omnibus poetis communis ut subjiciant numeris vel iambicis vel trochaicis clausulas logaoedicas.

Jam transeamus ad epodum subsequentem, quae epodus, ut supra docui, multis doctorum conjecturis temptata, mihi quidem iis tantum medelis videtur esse sananda quae poscuntur sententiarum connexu. Laude igitur dignae sunt Hermanni conjecturae ingeniosae, propter sententiarum connexum necessariae ideoque sine dubio recipiendae. Nam reposuit loco lectionis corruptae *Ἄτλανθ' ὃς* genitivum *Ἄτλαντος*, quem genitivum desiderant vocabula *ὑπέροχον σθένος χραταιών*; deinde postquam restituit ex *αἰέν* vocula accusativum *γᾶν*, et desideratum propter particulam *τε* quae est in codice post *οὐράνιων* et commendatum v. 353, transposuit voculas *ὃς γᾶν* in initio

versus subsequentis; quae transpositio hac re defenditur quod libraii cujusdam oculi facilline aberrare poterant a syllaba *τος Ἄτλαντος* genitivi ad versum proximum ex vocula *ὅς* incipientem. Sed quamvis probem has viri doctissimi conjecturas, tamen quo facilius corruptelae origo possit perspici, loco *γᾶν* scribendum suadeo *αἶαν*. His igitur conjecturis receptis mihi quidem, ut nihil subjiciam neque de forma tradita *ἐσειδόμαν* atque leviter mutata in *εἰσιδόμαν* neque de particula *δέ* in v. 435 post *Ἄϊδος* transposita, epodus tales in numeros videtur esse disponenda:

μόνον δὴ πρόσθεν ἄλλον ἐν πόνοις
δαμέντ' ἀδαμαντοδέτοις
Τιτᾶνα λύμαις εἰσιδόμαν θεὸν Ἄτ-
λαντος ὑπέροχον σθένος κραταιόν,
ὃς αἶαν οὐράνιον τε πόλον
νώτοις ὑποστεγάζει.
βοᾷ δὲ πόντιος κλύδων
ξυμπίτνων στένει βυθός,
κελαινὸς Ἄιδος δ' ὑποβρέμει μυχὸς γᾶς,
παγαὶ δ' ἀγνορύτων ποταμῶν
στένουσιν ἄλγος οἰκτρόν.

Westphalius hos numeros quos et ipse paullo inferius exscripsit, p. 642 episynthetos dixit atque a normis Aeschyleis alienos. Equidem supra episynthetos apud Aeschylum esse negavi nisi in stropharum exitu: sed hac in epodo habent numeros ejusmodi versus alter, tertius, quartus; quibus ex versibus tertius, cui arctissime adnectitur subsequens, uti videtur numeris dactyloepitritis, ab Euripide quidem saepissime positis in carminibus numeros episynthetos amplectentibus (Westph. p. 692). Itaque non reprehenderim virum doctum epodi metra a normis Aeschyleis abhorrere judicantem.

Nunc accuratius est agendum de dactyloepitritis: nam duo carmina antistrophica (vv. 528 — 541; vv. 885 — 892) prorsus fere sunt composita ex versibus ejusmodi. Atque rectissime monuit Westphalius disputationem de tragicorum dactyloepitritis instituens hos numeros lyricis magis placuisse quam tragicis propter suam propriam indolem. Etenim quivis sentit versus qui elementis dactylicis habent praemissam dipodiam trochaicam cujus ultima syllaba solet esse producta, propter hanc ipsam longam syllabam sedatiores gravioresque esse quam ut in commotis tragicorum carminibus locum habere potuerint. Sed quo magis chorus quid in scena ageretur curare desiit, eo sedatioribus numeris tragici usi sunt: sic est factum ut Euripides, apud quem chorus de rebus ipsis quae in scena fiunt prorsus fere securus universas vivendi normas

eloqui solet, haud ita raro in usum vocaret dactyloepitritos. Attamen ut praeteream pauca exempla ex Sophoclis tragoediis exscripta, Aeschylus abstinuit ceteris in fabulis numeris ejusmodi, quippe qui summum carminum πάθος vix possent reddere. In una tantum fabula, dico Prometheum vinctum, ii inveniuntur atque talibus in carminibus, quorum ne argumenta quidem ingenium Aeschyleum prodere videntur. Ceterum ne quis opinetur numeros jam non tam firmas constantesve regulas sequi ut credi liceat carmina composita esse iis temporibus quibus tragici saepissime uti sint soliti dactyloepitritis, est addendum prioris carminis clausulam esse versiculum Ithyphallicum, qui a lyricis quidem repudiatus saepissime ponitur ab Euripide in strophis exeuntibus, sic ut nonnulla exempla afferam, in Med. fab. vv. 420, 634, 982; in Androm. v. 777. Neque dactyli, qui sunt in carminum initiis, abhorrent ab aliorum tragicorum rationibus. Sic ex dactylis incipit Aj. fab. carmen quod est a v. 172, ab anapaestis et Troad. fab. carmen quod est a v. 795, et Electr. fab. canticum quod est a v. 859.

Jam pauca sunt adnotanda de numeris carminis antistrophici quod legitur inde a v. 541. Circuitum igitur versuum singulorum significat syllaba longa metrum egrediens; in ultimo quem scribunt editores duo cola arcte conjuncta esse videntur: namque in antistropha poscitur, quoniam Prometheus Hesionam deduxisse dici non potest nisi antea donis nuptialibus sibi conciliatam, loco πείθων acristi participium πιθών, sic ut syllaba brevis respondeat syllabae longae adjectivi θνατῶν atque ostendat syllaba anceps prius colum finiri et incipere alterum. Deinde pro ἰσόνειρον ex Reisigii auctoritate reposita simili forma »ἀντόνειρον« quartus versus habet numeros trochaicos; ceteri praeter extremum numeros dactylotrochaicos amplectentem sunt anapaestoiambici. Hi numeri Aeschylo vix possunt tribui. Namque quamquam cum agerem de numeris vv. 128 sqq., anapaestos non prorsus alienos esse docui ab Aeschyli canticis, tamen solent habere aliam formam atque hoc Prom. fabulae carmen. Nam praeter anapaestos et iambos immiscentur etiam dactyli; qua re duobus ictibus proxime convenientibus mirum quantum augeri vim atque gravitatem quivis sentiet: sed hoc in carmine numeri tam placide profluunt ut vis Aeschylea prorsus desideretur. Deinde in carminibus Aeschyleis anapaesti, interpositi iambis, horum locum tenere videntur: hoc tamen in cantico sunt pauci iambi atque locum principem tenent anapaesti. Itaque adstipulor Westphalio numeros ab Aeschylo abjudicandos censenti.

Sed restant epodi ex v. 899 incipientis numeri, qui ut

satis appareant mihi liceat exscribere verba, quae ommia fere retinui ex codicis traditione:

ἐμοὶ δ' ὅτε μὲν ὁμαλὸς ὁ γάμος,
ἄφοβος οὐ δέδια μηδὲ χρεισσόνων
θεῶν, ἔρως ἄφυκτον ὄμμα προσβράκοι με.
ἀπόλεμος ὅδε γ' ὁ πόλεμος ἄπορα πόρμος
οὐδ' ἔχω τίς ἂν γενοίμαν·
τὰν Διὸς γὰρ οὐχ ὁρῶ
μῆτιν ὅπᾳ φύγοιμ' ἄν.

Prior igitur versus est dimeter iambicus, tertius et quartus trimetri iambici sive hypercatalecticus sive catalecticus; qui subsequuntur versus sunt dimetri trochaici sive acatalectus sive catalecticus; clausula est trimeter logaoedicus, alter autem versus est trimeter trochaicus, cujus metra tertium et prius sunt catalectica. Hos numeros ab Aeschylo alienos esse nemo poterit ostendere, atque ipse Westphalius negavit eos ab eo posse abjudicari. Nam et iamborum syllabae longae apud eum, ut reddant animi quandam turbationem, solvuntur saepissime et versus trochaici non modo immiscentur iambicis, sed etiam ut v. 902 in sententiarum et v. 903—904 in ipsarum stropharum exitu ponuntur. Attamen potuerunt illi numeri etiam post Aeschylum componi: etenim ipse Westphalius cum ageret de tragicorum posteriorum strophis iambicis, monuit iambos Aeschyleos tam firmam sedem sibi parasse in tragoediis ut Euripides in universum et ipse eos imitaretur, quamquam cum alia suo ex arbitrio immutare soleret, tum sicuti aliis in strophis rarius ponere catalexim interiorem: hac autem catalexi carent etiam illi Prom. fabulae iambi. Sed ex rebus metricis mea sententia non potest discerni utrum ab ipso Aeschylo profecta sit epodus necne.

Nunc restat ut judicem de canticorum argumento et oratione. Atque exordiatur disputatio ab eo cantico quod est a v. 401. Namque sententiae earumque connexus sic concinunt cum antistropha quae est in vv. 145 sqq., ut non credibile videatur duo carmina deberi uni eidemque poetae. Etenim quamquam antea virgines edixerunt sese Prometheum vinctum adeo miserari ut lacrimis temperare non possent, tamen idem affirmant in vv. 401—404. Quid quod altera pars, priori adnexa particula *γάρ*, in alterutro carmine idem fere continet. In priori enim novi domini in Olympo sedere dicuntur et Jupiter potissimum regnare novo inauditoque ex arbitrio: qui autem antea fuerint superiores, eos nunc deleri. Idem fere profitentur postea virgines eaedem: sese lacrimas fundere aiunt propter Prometheum; nam Jovem suo proprio ex arbitrio regnantem, vix ut ferri possit, uti in eos qui antea

fuerint dii armis superbis. Neque modo eaedem sententiae, sed etiam eadem fere verba bis leguntur: sic sunt in carmine priori »νεογμοῖς νόμοις κρατύνει«, in altero »ἰδίοις νόμοις κρατύνων, neque dubito quin »θεοῖς τοῖς πάρος ἐνδείκνυσιν ὑπερήφανον αἰχμήν« sint formata ad prioris carminis vocabula »τὰ πρὶν δὲ πελώρια νῦν αἰστοῖ«. Quae cum ita sint, facile intelligitur quomodo sit factum ut bis ponerentur eidem numeri: una cum sententiis auctor carminis alterius etiam numeros suum in usum deprompsit ex carmine priori.

Antistrophae porro argumentum universum non est reprehendendum; namque suam orationem virgines instituunt sic ut dicant non modo se ipsas sed totum orbem lugere mala Prometheo illata. Ceterum quoniam docet stropha post ἀρχαιοπρεπῆ intercidisse quatuor syllabas, et paullo inferius subsequuntur ὑπόσοι τ'ἔποικον Ἀσίας ἕδος νέμονται, suo jure Weckleinius supplendum esse suasit θ'ἑσπέριοι, ut orienti opponeretur occidens.

In subsequentibus autem singulae orientis gentes dicuntur. Qua in gentium enumeratione duo illa enuntiata relativa quae subjiciuntur et de Sytharum acervo et de Persarum flore — namque ex omnibus conjecturis loco corrupti nominis Ἀραβίας excogitatis videtur optima Hartungii Ἀρίας, quod vocabulum respondeat Κολχίδος (v. Weckl. stud. Aesch. p. 12) — mihi quidem valde displicent nisi statuuntur esse adjecta a poeta ut significaret etiam terrarum remotissimarum incolas lugere Prometheum; quod si non statuemus facere non possumus quin vituperemus poetam nimis sese jactantem in adnotationibus geographicis. Atque bene defenditur illud poetae consilium iis quae adjiciuntur de Persarum domiciliis: namque post longos tandem errores Jo usque ipsum ad Caucasum montem perventura esse dicitur in v. 717. Sed prius enuntiatum relativum non recte sese habere videtur propter illud artificium poeticum: nam primum hoc in connexu inepte memorantur Scythae. Etenim in regione quadam deserta ipsius Scythiae Prometheus rupi est affixus (v. 2) et hac ex regione ipse auguratur in vv. 703 sqq. Jonem ad orientem versus primum venturam esse ad Scytharum domicilia. Deinde quod hoc in carmine Scythae sedere dicuntur circum paludem Maeotidem fronte adversa iis repugnat quae, ut apparet ex Jonis erroribus, Aeschylus et de eorum domiciliis cogitavit et verbis apertis edixit de paludis situ. Jubet enim Prometheus virginem postquam ex locis desertis ad orientem versus venerit ad Scythas Nomadas, hos vitantem progredi praeter asperas maris oras usque dum Chalybas attingat: hos autem habentem ad sinistram praeterire, deinde eam perventuram esse auguratur

ad Araxem fluvium, cujus ripas legere jubetur dum veniat ad ipsum fontem, qui sit in monte Caucaso: hujus summo culmine superato venturam esse ad Amazonas, eam perducturas ad isthmum Cimmerium. Hoc autem de isthmo in vv. 728—729 haec leguntur:

δν θρασυσπλάγχνως σε χρὴ
λιποῦσαν αὐλῶν' ἐκπερᾶν Μαιώτιδα.

Apparet igitur et erravisse Hermannum cum statueret in disputatione de Jonis erroribus conscripta dici vv. 710. 711 vocabulis »*ἁλιστόνοις ῥαχίαισιν*« Pontum Euxinum, quoniam constet ex Aeschyli opinione sedere Scythas, ut utar scholiastae verbis ad v. 11 adscriptis, »*πρὸς τοῖς Εὐρωπαίοις τέρμασι τοῦ Ὠκεανοῦ*« longe remotos a palude Maeotide, et quod magis pertinet nostram ad disputationem, alii cuidam auctori debere alteram fictionem quae de Scytharum domiciliis est in vv. 419—421.

Sed restat hujus cantici epodus. Ut igitur primum moneam qua ratione cohaereat cum carminibus prioribus, haec dicunt virgines: »unum antea vidimus Titanem similibus laboribus vexatum atque lugent eum sicut te undae, mare profundum, ipse Orcus«. Namque Ribbeckius excidit ratione cum ut clamores luctusque pertinerent ad ipsius Promethei labores, vv. 433 sqq. alteri carminis parti censeret praeponendos: etenim sic quae sunt de Atlante quasi superfluere videntur neque aliud quid sectantur virgines quam ut illa quasi nova narrent Titani. Sed narrant haec, ni fallor, ut consolentur Prometheum atque subjiciunt illi non minus misericordiae tribui quam ei ipsi. Hac ex interpretatione quamquam quae sunt de Atlante non videntur supervacanea, tamen ipsa narratio displicet. Namque uti concedo vocabulis »*ξυνομαιμόνων τε τιμάν*« (v. 412) aptissime renovari Typhonis et Atlantis memoriam et particula *δή* quae est in v. 437 post *μόνον* breviter graviterque hunc discerni ab altero, tamen narratur de Atlante amplissime, quasi antea de eo sermo non fuerit. Huc accedit quod non pauca verba debentur iisdem carminibus, ad quae hujus cantici carmen prius formatum esse ostendi. Sic interpretes non debuerunt vocabula »*ἀδαμαντοδέτοις λύμαις*« quasi interpretamenta e textu rejicere, sed notare ea a poeta esse desumpta ex v. 147; quae mutuatio eo fit probabilior quod in eodem illo contextu legitur participium *εἰσιδοῦσαν*, altero autem loco *εἰσιδόμαν*. Aptissime porro »*ἀδαμαντοδέτοισιν*« dici potuit de laboribus Promethei vincti, inepte ponitur de Atlante caelum humeris fulciente. Ex omnibus his causis quivis intelligit, si quis primum et alterum canticum tribuat uni eidemque poetae, eum fuisse infimi generis; neque

tamen equidem mihi unquam persuadebo ut Aeschylo semper summa et verborum et sententiarum copia abundanti inuram talem ignominiam: immo vix potero accusari temeritatis, si statuam alterius chori cantici totum fere argumentum et orationem ab alio quodam auctore ad prius canticum vere Aeschyleum esse formata et desumpta ex ipsius Aeschyli de Atlante narratione.

Reliqua cantica auctor tota fere suo proprio ex ingenio hausisse videtur: sed quo magis suas ipsius cogitationes protulit, eo facilius intelligimus quanto spatio ejus indoles distet ab Aeschyli ingenio. Nam virgines quae in scena agantur et sint futura vix curant, sed ex iis quae sunt facta sibi ipsae sumunt ex more philosophorum vivendi normas. His tamen in normis constituendis mihi quidem alium animum ostendere videntur atque in carminibus episodiisque vere Aeschyleis. Etenim in parodo uti summa misericordia utuntur in Prometheum, sic flagrant in Jovem summo odio (vv. 158 sqq., 164 sqq., 187 sqq.): quo odio motae non dubitant in eum effundere verba impia. Quid? tales virgines postquam compererunt ex Prometheo qua de causa tantis laboribus vexaretur a Jove, nonne in eum eo vehementiore odio debuerunt incendi! Sed qui quidem attente legerit vv. 528 sqq., ei versum videbitur odium summam in timiditatem: hoc enim deprecantur ne Jovis ira unquam sese insectetur; ipse sese diis sua sacrificia facturas esse profitentur neque verbis quidem impiis in eos usuras. Tales Oceanides Aeschyleas fuisse et ipsa exodus negat: namque quoniam in parodo sese Promethei partibus favere aperte edixerunt, hac in re sic perseverant ut non modo poenas a Jove ei impositas una cum eo pati sint paratissimae, sed etiam in Mercurium deum juste dissuadentem impia atque acerba verba dicere non dubitent: haec res quantopere repugnet vocabulis illis »*μηδ' ἀλίτοιμι λόγοις εἰς θεούς*« concedet, quisquis potest judicare. Deinde displicet illa virginum opinio quam proferunt de Jovis omnipotentia qui dicitur in v. 528 *πάντα νέμων*. Etenim in exitu episodii proximi Prometheus significaverat et ipsum Jovem necessitate esse inferiorem; haec significatio nonne debuit in virginum animis dubitationem movere de vi atque potentia summi dei? Ceterum dubium esse non potest quin poetae vocabula, »*φρίσσω δέ σε δερκομένα μυρίοις μόχθοις διαχναίσμενον*« conscribentis, animo sint obversati ipsius Aeschyli vv. 93—95.

Idem quod judicavi de vocabulis *πάντα νέμων* cadit etiam in alterius strophae v. 546, neque magis placet ceterum hujus strophae argumentum. Etenim quoniam in proximo episodio fuit sermo de futura Promethei liberatione atque virgines spe-

raverunt eum sese ipsum vinculis esse liberaturum, nunc ineptissime relabi videntur ad ejus culpae initia: nam vertunt ei opprobrio quod adjuverit homines, a quibus auxilium exspectare ei non licuisset. Accedit quod opprobrium est contrarium moribus virginum Aeschylearum. Nam qui quidem secum consideraverit eas supra in vv. 250 sqq. aperte laudare beneficia a Prometheo in homines collata, opinabitur eas miserari illorum statum miserum qualis fuerit ante beneficia; sed huic opinioni repugnare videtur opprobium illiberale: namque Prometheum vituperantes quod bona tulerit miseris hominibus, propter imbecillitatem beneficia non remuneraturis, carere videntur virgines erga eos omni misericordia atque liberalitate. Deinde post antistrophae versum priorem, quo summum cantici argumentum concluditur et breviter effertur hoc ejus summum consilium ut dicant virgines quaenam sibi sumpserint ex alterius rebus adversis, addunt eae quanto distent haec sua cantica ab hymenaeo tum cantato cum Prometheus deduxerit Hesionam. Quae comparatio haud scio an sit indigna summa gravitate Aeschylea.

Idem fere est existimandum de cantico extremo. Nam exponunt virgines quaenam didicerint ex Jovis sorte infelici; hoc summum cantici consilium significatur aperte v. 897. Sed quomodo apud ipsum Aeschylum eae se gesserint virginis erroribus auditis satis docent vv. 686—692. Nam utut emendabimus lectiones depravatas, sunt versus vere Aeschylei. Primum arctissime cohaerent cum antecedentibus et subsequentibus: exprimunt virgines admirationem et maerorem de iis quae modo ipsa Jo narravit de sua usque ad id temporis sorte infelici; et adnectit ad verba earum suam orationem Prometheus cum eas nimis mirari vetet, priusquam audiverint cetera pericula illi imminentia. Deinde eae sibi ipsae non sumunt ex sorte Ionis normas vivendi, sed edicunt ex more Aeschyleo quantopore ea commoveantur. Hanc autem commotionem non modo versus dochmiaci reddunt optime, sed significat etiam genus dicendi, ex quo cum alia tum eorundem vel similium vocabulorum iterationem Aeschyli prodere ingenium concedere non dubitabit, quicunque hujus poetae orationis est peritus. Sed in cantico extremo utuntur virgines numeris atque oratione placidissime profluentibus et quae sese ex Jonis sortibus didicisse exponunt tam jejuna sunt ut priorem scenam grandem praeclaramque minus apte excipere videantur. Namque praedicant virum sapientem, qui primus praeceperit ut matrimonium iniret suo quisque statui accommodatum neve quis peteret nuptias divites nobilesve: ipsae sese neque Jovis neque deorum aliorum concubitum petituras esse

profitentur. In epodo sese nuptias aequas timere negant atque deprecantar ne quis deorum in se vertat oculos. Tales leges precesque, res hercle vilissimae, abhorrent sine dubio a summa animi Aeschylei excelsitate atque gravitate.

Ex iis quae exposui satis superque apparet et parodum et exodum et illud chori canticum quod est in Jonis episodio ab ipso Aeschylo esse profecta; namque et numeri et argumentum et genus dicendi summi hujus poetae ingenio videntur esse dignissima. Sed cetera chori cantica ab eo sunt abjudicanda: hoc clamant et brevitas carminum et numeri maxime sedati, πάθος Aeschyleum minus efferentes, et argumentum, quod vel est depromptum ex ipsius poetae carmine vel ei prorsus repugnat vel est de rebus vilissimis, et oratio haud ita raro formata ad verba vere Aeschylea. Haec omnia tam multis gravibusque causis ostendisse mihi videor ut sperem atque confidam neminem jam esse ausurum carmina reddere Aeschylo. Sunt autem haec inserta tragoediae Aeschyleae cum jam displicerent hujus poetae carmina gravissima atque amplissima et ex Euripidis potissimum temporibus cantica brevia leviaque adriderent.

Vita.

Albertus Röhlecke natus sum a. d. VI. Non. Mai a. 1859 Alvenslebiis, patre Andrea, matre Carolina e gente Isensee, quibus superstitibus maxime gaudeo. Initiatus sum fide evangelica. Primis literarum elementis domi imbutus a vere a. 1871 versatus sum Parthenopoli, qua in urbe primum paulisper fui discipulus gymnasii cathedralis, postea frequentavi paedagogium quod vocatur Nostrae Beatae Virginis. Hac in schola cum ab aliis viris praestantissimis, tum potissimum a Deckero, Feldhügelio, Götzio, Knauthio, praeceptoribus dilectissimis, et a Bormanno directore, nuperrime morte praematura et literis et scholae erepto, incitatus sum ad studium philologiae. Maturitatis testimonium adeptus vere a. 1878 migravi Tubingas: hac in universitate per bis sex menses audivi scholas virorum doctissimorum Kugleri, Pfleidereri, Schwabii, Strauchii; interfui exercitationibus Schwabii, Strauchii, hujus theodiscis, illius latinis. Deinde Berolinum me contuli atque audivi per sexies sex menses scholas virorum praeclarissimorum Curtii, Hübneri, A. Kirchhoffii, Müllenhoffii, Roberti, Schereri, Treitschkii, Vahleni, Zelleri. Seminarii philologici fui sodalis ordinarius per ter sex menses. Praeterea Müllenhoffius et Schererus aditum mihi benigne permiserunt ad exercitationes theodiscas, Kirchhoffius ad epigraphicas. His omnibus viris, optime de me meritis, imprimis Kirchhoffio et Vahleno, seminarii directoribus mihique praeceptoribus dilectissimis, gratias ago candidissimas semperque habebo.

Sententiae controversae.

1. Est causis gravioribus, quas attuli ut extremam Septem fabulae scenam abjudicarem ab Aeschylo, quid addendum: in scena illa, quoniam faciunt verba et chori dux et utriusque hemichorii duces, videntur esse choreutae quindecim; qui numerus propter certa tragoediae tempora vix potest tribui Aeschylo (vid. quae supra p. 28 de actorum numero disputavi).

2. Insigniter erravit nuperrime Chr. Muffius, »Chor der Sieben des Aeschylus 1882. p. 4, 5,« quod hujus tragoediae vv. 95—97 suasit transponendos post v. 103: habet carmen quod est in vv. 78—105 octo particulas, omnes praeter priorem et extremam mutua sententiarum, non metrorum responsione insignes.

3. Contra Weilium ejusdem tragoediae v. 1003 in textu retineri jubeo.

4. Est Tibulli c. II 3 ab ipso poeta perfectum atque perpolitum. Pertinent vv. 47, 48 ad eundem amatorem infelicem qui in vv. 33, 34 propter amorem versari cogitatur in poetae domo.

5. Horatii s. I, 6 vocabula »notante judice« (vv. 14. 15) efficiunt ablativum absolutum cohaerentem artissime cum antecedentibus; »longe longeque remoti a volgo« dicuntur ii quibus una cum poeta propter genus infimum vix licet exspectare auram popularem.

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

PA
3829
R58

Röhlecke, Albertus
Septem adversus Thebas
et Prometheum vinctum